Mueller, Lucian

LVCIANI MVELLERI

DE ACCII FABVLIS DISPVTATIO.

BEROLINI.
Apud S. Calvarium et Soc.
A. MDCCCXC.

Excerpta haec ex Actis Minist. Instit. Publ. Ross. Iauuarii m. a. huius.

Typis expressit Petropoli V. Balaschevus.

De Pacuvii fabulis cum nuper sit expositum a nobis, restat ut agatur de Accianis praeter togatas, de quibus in eodem dictum libello.

Accii cum plures aliquanto versus sint servati quam Pacuvii, tamen de argumento et compositione tragoediarum eius quaerere etiam difficilius, partim quod numero multum vincunt Pacuvianas ideoque singularum, ut plurimum, pauciores extant reliquiae, partim quod de auctoribus graecis, quos secutus est, plerumque res perincerta. — Hoc tamen utriusque commune poetae, quod non tam Aeschylum, Sophoclem, Euripidem quam insecutos hunc tempore et qui vestigia huius premerent videntur imitati.

Et magna quidem pars carminum Accii, plane ut Ennii et Pacuvii, in bello Troiano, quaeque ei nexa sunt rebus et ordine, versatur. In quibus reconcinnandis cum aliquid iuvemur celebritate argumenti a poetis usque decantati, aliae ab eodem poeta tractatae fabulae, de quibus aliunde vel parum constet vel nihil.

His expositis ad singula descendemus. In quibus persequendis, sicut nuper in Pacuvio factum, ne in nimium excrescat moles, quantumcumque licet studebimus brevitati; ea vero curiosius ceteris enarrabuntur, quae recentissima Nonii editione, cuius numeris utimur, aliquid traxere lucis.

Ceterum cum de plerarumque tragoediarum non satis constet argumento multoque minus possit iudicari, quo rerum ordine iunctae quove temporis intervallo sint compositae illae, quae in eiusdem domus sive populi, ut puta Pelopidarum vel Troianorum, variis versantur fabulis, nos alphabeti sumus ordinem secuturi in tractandis carminibus, praeterquam ubi mutandi consilii certa in propatulo est ratio, sicut statim in sequentibus.

I. II. Achilles. Myrmidones.

Achillis et Myrmidonum fabulas cum titulo solo inter se differre coniectet O. Ribbeckius libri de tragoedia latina pg. 349, ut tamen id pro certo affirmari posse neget, diversas fuisse argumento vel ea re videtur effici, quod a Nonio in capite II, ubi praeter Gellium uno potissimum, non pluribus, videtur usus fonte, et Achilles citatur et Myrmidones.—Itaque non est improbabile Achille Acciana sicut Achille Aristarchi Enniana describi lites inter Achillem et Agamemnonem ortas et quae proxime secuta sunt. Nec fragmenta quae supersunt tria ab hac opinione aliena. Nam quod legitur ap. Non. pg. 503 s. l. fervat:

ne tuum confervat pectus iracundiae,

potest comparari quod dicit Calchas Il. I, 76 sqq. vereri se Agamemnonis iram, si vaticinium protulisset. Versus hic (Non. 98; 277 l. delica):

quare alia ex crimine inimicorum effugere possis delica

nescio an fuerit Achillis ad Agamemnonem recusantem reddere Chryseida et quidem indicantis oblique non posse aliter invidiam populi propter regis impotentiam mulcati (nam id videtur significare „cri men inimicorum") vitari. Cf. Il. I, 101—129. Denique illud (Non. 110 l. flaccet):

an sceptra iam flaccent fera?

comparari licet cum eis, quibus Agamemnon iactat Il. I, 181 sqq. potentiam suam et maiestatem.

Myrmidones fuisse primam partem trilogiae Aeschyleae, in qua essent deinceps positae Nereides ac Phryges, eosque fuisse exemplo Accii fabulae cognomini cum probabilitate statuere docti. Quae feruntur ex fabula latina, omnia fere ad temptatum frustra reconcili andae cum Agamemnone gratiae causa Achillem videntur spectare Sed continuatam rem usque ad Patrocli caedem et Achillis querelas ut titulus indicat, ita demonstrant reliquiae carminis Aeschylei.

Initium autem fabulae, ut Achillis alterius Enniani, videtur fecisse consilium regum graecorum post cladem a Troianis illatam de summa rerum consultantium. Cf. Il. IX. Atque ibi in altercatione mutua potuerunt locum habere ea, quibus nescio an perstringatur Vlixes, cui saepe simulationis obiectum crimen, reditum sub honesta specie dissuadens (nam ab hoc et priore tempore Graecos discessum molientes impeditos testatur Il. lib. II):

tua honestitudo Danaos decepit diu.

Eiusdem, ad quem data haec, videtur esse versus:

ego me non peccasse plane ostendam aut poenas sufferam.

Nullo quippe pacto his Achillem uti potuisse apparet, cui adscribit Ribbeckius. Plane enim abhorrent a natura illius, quem Horatius, secutus Homerum, cuius et Accium ante oculos habuisse exemplum recte dicit Ribbeckius pg. 350, describit ita:

inpiger, iracundus, inexorabilis, acer
iura neget sibi nata, nihil non arroget armis

Nec satis simile veri, quod ab Achille responsum putat ita eis, quibus a Chirone compellatum haud obscure indicat Cic. pro Mur. 29, 60:

non multa peccas, sed si peccas...
te regere possum.

Vbi commode poterit suppleri „ocius" vel „ilico".

Quae si ex hac tragoedia sint petita, de quo dubites, debuere potius iram alumni excitare. Et accensum quidem eum adversus Chironem demonstrant verba nescio cuius mitigare eum conantis ac reconciliare magistro:

nolo equidem. sed tu huic, quem scis quali in te siet
fidelitate, ob fidam naturam viri
ignosce.

Vbi ad „nolo equidem" supplendum ut puta „probare sermonem stum". Illud „fidam" dubito an sit corruptum.

Relicua satis aperta et in quorum maiore parte mihi conveniat cum Ribbeckio.

Inter legatos ad Achillem missi Phoenicis fuere haec:

iram infrenes, obstes animis, reprimas confidentiam.

Aiaci et ipsi monenti, ut deponat ferociam, sic aliis praemissis respondet Achilles:

quodsi, ut decuit, stares mecum aut meu' te mestaret dolor,
iam diu inflammari tetre navis vidissent suas;

scil. Atridae. Illud autem „ut decuit" ad cognationem Achillis et Aiacis avi communione ortam, quam ignorat Homerus, spectare apparet.

In fine vero orationis consilium professus idem abeundi in patriam:

classis trahere in salum ego et vela ventorum animae inmittere.

* Praemissum fuit vel subiectum ut puta „paro". Abest a libris illud „ego". Trimetris haec disposita in editione Nonii 234, 9; minus quidem bene, nisi fallor. Cet. cf. Il. IX, 356 sqq.

Denique locus longior, qui legitur ap. Nonium pg. 433 s. l. pervicacia et pertinacia, aperte ab Achille prolatus post discessum legatorum, cum ab Antilocho, qui post Patroclum ei fuit acceptissimus, denuo moneretur ad iram abdicandam.

III. IV. Clytaemestra. Aegisthus.

Clytaemestram (quam Accius inscripsit Clutemestram) cum diversam ab Aegistho iam recte statuat Ribbeckius pg. 464 sq. (nam Nonius utraque fabula pariter utitur in capite secundo), tamen fallitur omnino, quod conicit etiam Aegistho descriptam Agamemnonis caedem adeoque retractatam ab Accio Livii Aegisthum, quae in illo versabatur argumento. Nec vero eum fugit vix tanti esse, quod loci duo communes ex Aegistho citantur, qui possint videri ducti ex Aeschyli Agamemnone (v. 1601; 1605 ed. Hermanni):

neque fera (f. fere) hominum pectora
fragescunt, donec vim persensere imperi;
melius quam viri
callent (i. e. sciunt) mulieres.

Nam tales et alibi apud tragicos occurrunt haud raro, velut Non. 257, 59; 64, 7.

At Aegistho Acciana contineri poenam Aegisthi et Clytaemestrae docet versus de Oreste haud dubie in fine fabulae positus:

cui manu' materno sordet sparsa sanguine.

De insidiis autem structis Oresti vel Electrae accipienda haec:

heu!
cuiatis stirpem funditus fligi studet.

Denique illud:

celebri gradu gressum accelerasse nunc decet

potuit esse Electrae exultantis, cum de poena Aegisthi et Clytaemestrae audisset. Verbis, quae sunt „melius quam viri callent mulieres", utrum Clytaemestrae an Electrae significentur molimina et doli incertum.

At Clytaemestra haud dubie Agamemnonis et Cassandrae necem persecutus est Accius. De qua fabula cum probabiliter disputarit Ribbeckius, hoc addo, verba illa (cf. Non. 178, 9):

> ut, quae tum fidem, me absente in rebus dubiis, coniugei
> tetinerit, nunc prodat victorem?

si recte sint emendata a me (nam in codicibus feruntur corrupta), haud dubie esse Agamemnonis in priore parte carminis et quidem ad Cassandram vel alium quem de insidiis monentem Cf. Agamemnonis Senecae v. 836, ubi regi iactanti „victor timere quid (f. qui, i. e. quo pacto) potest?" ita respondet Cassandra: „quod non timet". Apparet autem Accium eam famam secutum, qua dicebatur Clytaemestra sub adventum demum viri calumniationibus Aegisthi vel Oeacis esse adducta ad fidem coniugii violandam et struendas marito insidias. Cf. Hygin. fab. 117; Ribbeck. pg. 460. Etiam haec eiusdem tragoediae (v. 833) Agamemnonis „ne metue dominam famula", Cassandrae „libertas adest" comparari possunt cum Accianis:

> scibam hanc mihi supremam lucem et servitii finem dari.

Ceterum haud raro Senecae convenire cum Pacuvio et Accio etiam ab aliis monitum. Quod cum partim ab eorundem exemplarium Graecorum imitatione possit repeti, tamen alia sunt, in quibus ei tragicos latinos, quos legerat haud dubie, neglegentius quidem et fastidiosius, obversatos esse probabile est.

V. VI. Agamemnonidae. Erigona.

Agamemnonidarum aliam fuisse atque Erigonae fabulam, non, ut quibusdam placuit, eandem rursus probatur ea re quod uterque titulus citatur a Nonio in capite secundo. Mirum esset profecto ac novum, si in uno capite eaedem tragoediae tam saepe diversis afferrentur inscriptionibus

Agamemnonidis Electrae atque Orestis et Iphigeniae casus contineri ipsa res demonstrat. Inimicitias vero continuatas Agamemnonis et Aegisthi domus eis referri docet alterum e duobus, quae restant, fragmentis:

> inimicitias Pelopidum
> extinctas iam atque oblitteratas memoria
> renovare.

Ex quibus verbis etiam efficitur tractatas hoc carmine res multum post Aegisthi mortem actas. Neque improbabile est eadem, quae ab Hygino fab. 122 (ex qua plura excerpta in libello de Pacuvio, ubi de Duloreste agitur) referuntur de Electra propter falsum mortis Orestae nuntium profecta Delphos ibique congressa cum Oreste et Iphigenia, deinde cum fratribus agnitis reversa Mycenas deque punitis Aegisthi liberis, persecutum Agamemnonidis Accium. In quo ne diversis nimis locis res agerentur, potuit referri Delphis de Aleta et Erigona sumptas poenas. Cf. Ribb. pg. 471.

De Erigona quaerere lubricum ideo, quod interdum haec tragoedia confusa cum Epigonis eiusdem poetae. Nobis quinam loci vel huic vel illi assignandi viderentur declaratum Indice Nonii. Sed cf. comment. in 398, 20.

De Erigona Aegisthi filia paucissima tradita eaque aliquando turbata confusa hac cum Icarii filia cognomini. Cf. Ribb. pg. 474.— Fuit praeter alios Sophoclis Erigona. Iam si de fragmentis neque multis satis et interdum suspectis iudicari licet, videtur res Mycenis esse acta. Nam quod secuti versum, qui apud Nonium 498, 7 vulgo ferebatur talis:

Locrorum late viridia et frugum ubera,

coniecere initio Parnasum montem ac Delphis proxima loca memorata, recte a Bothio repositum:

locorum late viridia et frugum ubera.

Etenim alteram si praetuleris lectionem, substantivum requiritur, quod abesse vix potest. In codicibus Nonii est „locronum".

Porro hunc tragoediae fuisse existimarim contextum, ut Iphigenia comitante sub alia persona Oreste (sicut in Pacuvii Duloreste factum videmus) adveniret Mycenas ad regnum patrium repetendum, quo, dum in Tauridem proficiscitur Orestes, potitus esset Aletes. Nam post reversum ex Tauride Orestem actam rem certissime declarant illa (Non. 315, 9):

sed ubi ad finem ventumst, quo illum fors expectabat loco,
adque Orestei gravi' sacerdos ferro cum prompto adstitit.

Iam sive Aletae sive Erigonae ad percontandam Iphigeniam haec:

adsentio. age nunc tuam progeniem ede ordine!

Ad Aleten dubitantem de hospite et incertum, quid sit agendum, videtur spectare versus servatus a Non. 226, 23:

ita inperitus stupiditate erumpit se, inpos consili.

Deinde cum suspicio esset aucta Aletae, ortum consilium eius interficiendae. A quo absterretur verbis hisce:

hospitem depositam interimes?

Quae utrum Electrae sint an Erigonae non liquet. Ad clandestinos Erigonae, ut puto, cum Iphigenia sermones pertinent haec, quae tutius Erigonae tribuuntur quam Epigonis (Non. 16, 4; 20, 7):

lóquere própere ác pavórem húnc meum éxpéctorá!
eaque hoc causa, ut nequis nostra verba cleperet auribus.

Aletae apparet esse, si sint Erigonae, ac non Epigonorum, illa (Non. 185, 18):

qui (sc. Orestes), nisi genitorem ulso, nullum meis dat finem miseriis.

Contra Erigona non eadem qua cetera Aegisthi domus videtur fuisse impietate. Nam constans fuit fama, cum Aletes frater ab Oreste interficeretur, sicut olim Iphigeniam, illam Dianae opera servatam ablatamque in Atticam ac sacerdotem deae factam.

Atque huius haud dubie instante periculo ad Dianam preces continentur his:

quod utinam me suis arquitenens telis mactasset dea!

Vbi nescio an sit reponendum „mactassit".

Vnius ex Agamemnonis liberis fuere haec:

cum autem Aegisthus—heu me—eodem lecto cubitasset patri;

i. e. eodem cum patre lecto.

Denique illud:

nam quamquam exsanguest corpus atque annis putret

unius videtur fuisse ex senibus amicis Agamemnonis Iphigeniae ve Oresti auxilium pollicentis.

Cetera obscura. Neque apparet cur Erigonae nomine sit inscripta fabula, nisi dixeris eius opera Iphigeniam cum Oreste servatam ideoque ipsam exitio domus exemptam. Non magis constat, quales partes fuerint Pyladis, ac nuptiae huius et Electrae, quas deinde institutas refert Hyginus, in fine fabulae utrum fuerint memoratae necne.

Non videtur pertinere ad Erigonam vel Epigonos locus nondum expeditus ap. Non. 235, 1. Cf. comm.

VII. Alcestis.

Ex Alcesti unus restat versus, quo demonstratur notissimum Alcestidis pro marito ad moriendum se offerentis, sed propter fidem eximiam ac devotionem remissae a Proserpina vel ab Hercule restitutae amorem fuisse argumentum:

cum striderat retracta rursus inferis.

Bis hunc versum adfert Priscianus (pg. 867; 893 ed. Putsch.) ad probandum perfectum „stridi".

Pro „striderat" cdd. pg. 867 male „strideret". Illud „cum" demonstrat agi de re notissima, h. e. Eurydices Orphei coniugis umbra reducta ante Alcestim ex regno inferno, sed in ipso limine retracta. Stridendi verbum, ut τρίζειν, de umbris dici Lucani exemplo probat Bothius.

Porro „inferis" dativus est sive loci pro „ad inferos" sive instrumenti pro „ab inferis"; cave existimes ablativum positum pro „ex inferis".

Euripidem Accio fuisse exemplo, cuius Alcestis dramatis satyrici instar est, a gravitate videtur abhorrere Romana. Sed utrum hunc an Phrynichum an alium quem secutus sit discerni nequit.

VIII. Alcmeo.

Non potui a me impetrare, ut Alcimeonem potius quam Alcmeonem inscriptam existimarem ab Accio fabulam. Sane constat antiquissimos Romanos ut „Alcumenam" et „Tecumesam", etiam „Alcumeonem" extulisse. Atque illud „Alcimeone" aliquotiens invenitur in codicibus Nonii. Sed epenthesis talis cum praeter vetustissimam latinitatem etiam recentissimae eiusdemque plebeiae ac rusticae haud paucis adseratur exemplis, ego magis observandum duxi, quod constat Accium primum ex tragicis Romanorum graeca a prisca consuetudine largius movisse et ad formas graecas verborum magis revocasse, ut ait Varro de l. lat. X, 70, eiusque amicum et studiorum consortem C. Iulium Caesarem Strabonem primum usum esse eo quod est „Tecmesa" in tragoedia cognomini (cf. Mar. Victorin. pg. 2456 P.). Igitur illum dixisse existimo Alcmeonem, sicuti eodem tempore Lucilius posuit Alcmenam. Cf. comment. in Ennii Alcumeonem (nam ita Ennius

extuiit) pg. 230 sq. ed. nostrae. Praeterea tragici latini, ut attici, nomen efferunt per e breve; o in casu obliquo corripuit Accius.

Fuerat Alcumeo Ennii, qua videtur Euripidem, ut plerumque, secutus expressisse Ἀλκμέωνα διὰ Ψωφῖδος, hoc est descripsisse insaniam, quae interfecta Eriphyla matre oppressit Alcmeonem, donec Psophida perveniret, ubi Phegei regis, a quo est purgatus, Alphesiboeam (ita ab Accio dictam sequentis fabulae inscriptio facit probabile) vel Arsinoen filiam duxit uxorem. Accianam fabulam non eandem cum eiusdem auctoris Alphesiboea (nam et in primo ac secundo capite et in aliis pariter utramque memorat fabulam Nonius) recte statuit Ribbeckius. Cf. et Pauli Schmidtii de Nonii Marc. auctoribus pg. 59. Neque improbabile est, quod idem ille existimat eam fabulam persecutum Accium, qua res Alcmeonis post coniugium cum Phegei filia initum tradebantur. Nam ferebatur ille digressus ab uxore, quod insania renovaretur et infecunditate premeretur Psophis, iussu Apollinis Acheloum adisse et ab hoc lustratus duxisse Callirhoen filiam ex eaque sustulisse filios. Sed cum Callirhoen cupido invasisset monilis et pepli Eriphylae, quae ille priori donaverat coniugi, maritum precibus impugnavit, quo reciperet illa. Itaque ille ad Phegea reversus dolo ac mendacio potitus est eis, quibus diceret sibi opus esse ex oraculi monitu ad pellendam insaniam. Sed patefacta per famulum re iussu Phegei filii Alcmeonem insidiis circumventum interfecerunt. Quos rursus occiderunt Alcmeonis filii ex Callirhoe. Cf. Apollodor. III, 7, 6, 1.

Haec igitur, quae summatim persecuti sumus, usque ad mortem Alcmeonis videtur deduxisse Accius.

Phegei vel (si cum Ribbeckio scripseris „depositam") Alphesiboeae ad Alcmeonem, qui memorasset posse se ad sanitatem restitui et reddi uxori receptis monili et peplo, potuerunt esse haec:

ut me depositum inmerentem nuntio repentino alacrem
reddidisti atque excitasti ex luctu in laetitudinem!

In codicibus est „repositum".—Ad fraudes Alcmeonis detectas vel ad insidias ei a filiis Phegei structas referas illud:

tantum ut frustrando lactans, vanans protrahas.

Abituri post receptum cum monili peplum Alcmeonis ad Alphesiboeam fuit versus:

postremo amplexa fructum, quem di dant, cape.

Vbi amplexa non, ut Nonius vult 470, 13, est imperativus, sed participium. In „postremo" amphibolia inest quaedam, ut, cum Al-

phesiboeae accipiendum esset per „denique", Alcmeon adhiberet pro „ultimum". Etiam illud „fructum", cum in malam partem possit dici, ambiguum.

Phegei autem soceri post delatam Alcmeonis fraudem fit mentio ita (Non. 487, 29):

> quis dicat, cum te socerum viderit,
> generibus tantam esse inpietatem?

ubi tamen pluralis generibus (pro „generis") satis obscurus. Legitur quidem apud Hyginum fab. 245 a Phegeo praeter Alcmeonem etiam Eurypylum generum interfectum. Sed huius quae fuerint in fabula Accii partes incertum. Sane plures in ea inductos Phegeo inimicos et infestos demonstrant haec:

> quia nec vos nec ille inpune inrideret meam
> grandaevitatem.

Ad Alcmeonem et comites somno sepultos, quos insidiis invasuri essent fratres Alphesiboeae, haud male refert Ribbeckius ea quae sunt:

> atque eccos segnis somno et tarditudine.

Chaos vel Tartarus, impiorum sedes, significatur versibus a Nonio 487. 24 servatis.

Denique futurae per Callirhoae filios ultionis haud obscure fit mentio sic (Non. 398, 28):

> suos deseruit liberos superstites.

Vbi „superstites" valet „incolumes". Pro „suos" haud male quidam „duos". Nam duo fuere Alcmeonis ex Callirhoe liberi Amphoteros et Acarnan.

De auctore Accii plane res incerta.

IX. Alphesiboea.

Alphesiboea probabile est descriptas poenas, quas infensam propter necem Alcmeonis, quamquam inconstantis viri, tamen dilecti, a fratribus exegisse illam demonstrat Propertius, cum dicit (I, 15, 15 sq.):

> Alphesiboea suos ultast pro coniuge fratres,
> sanguinis et cari vincula rupit amor.

De quo etiam suspicatus est leviter Ribbeckius (pg. 505). Narrat Apollodorus III, 7, 5, 6 Phegei filiam Arsinoen (quam ab aliis dictam

Alphesiboeam supra memoravi) a fratribus arca inclusam et ad Agapenora Tegeaten deportatam.

In Accii fabula, si recte constituta sunt a nobis quae leguntur ap. Non. pg. 73 s. l. angustitatem, spelunca videtur iussa claudi:

set speluncam angustitate inclusam ac saxis squalidam.

Abest a codicibus illud „speluncam". Praecessit ut puta: „iam non incolo humanam domum".

Ad miserias eiusdem puto pertinere, quae sunt ap. Non. pg. 469; 279 s. l. cunctant; deponere. Deinde interventu Amphilochi, fratris Alcmeonis, videtur ultionem exegisse. Ac primum quidem cum accessisset hic, metuit ne poenas a se repeteret, quod fratres sui causa extitissent exitii Alcmeoni:

at vereor, cum te esse Alcmeonis fratrem factis dedicat.

Vbi suspicere aut Nonii stupore omissa versus sequentis quaedam veluti „res ipsa", aut scribendum, ut quidam apud Ribbeckium coniecit, „dedicas". Eundem tangi dixeris hisce:

sed tibi cautimst adeundum ad virum.

Deinde ad excitandum et incendendum pertinuere haec:

cum ipsiu' simitu miseritudo meorum nullast liberum?

Ad filium Alcmeonis, quem Clytium vocat Pausanias VI, 17, 6 nescio an spectarint haec:

si tui veretur te progenitoris, cedo!

quae sic licet accipi: dic, per memoriam avi tui Amphiarai, qui causa extitit casuum, quibus domus conflictatur eius, quae de fratribus Alphesiboeae (quorum metu eum fugisse Psophide refert Pausanias l. m.) tibi innotuere. Alcmeonis fratris videntur esse ea verba. Denique anapaestica illa:

o dirumque hostificumque diem, o
vim torvam aspecti atque horribilem!

ad stragem interfectorum ab Amphilocho fratrum Alphesiboeae possunt referri.

X. XI. Amphitryo. Persidae.

De Amphitryonis fabula, quam eandem conicit esse cum Persidis, ex qua tragoedia locum quendam communem affert Priscianus pg. 1325 P, mihi non magis constat quam Ribbeckio. Nec id mirum, cum

in fragmentis carminis Acciani non reperiatur, unde aliquid lucis adfundatur rei. Illud tamen mihi videtur certum, quae ex Apollodori libro (II, 4, 4 sqq.; coll. 4, 8, 4) et scholiis ad Apollon. Argon. I, 747 affert Ribbeckius pg. 554 sq., non posse revocari ad tragoediam hanc; sed describi ea discidia ac lites domus Amphitryonis aliunde prorsus ignotas. Nam ne hoc quidem habet probabilitatem ullam, quod nonnulli crediderunt hac fabula tractari eadem, quae Euripidis vel Senecae Hercule furente. Ceterum de Persei posteris, cuius nepos erat Amphitryo, pauca tradita.

De bello inter patrem et filios orto aperte agitur versibus ap. Non. 224, 14 servatis:

cum patri' parvos parat hostifice
sanguine sanguen miscere suom.

Qui etsi non sine corruptelis sunt traditi, tamen de sententia dubitari nequit. Verum de tali discidio Amphitryonis domus alibi nihil proditum.

Ad aerumnas sive minas vel Amphitryonis vel Alcaei patris angentes senectutem referenda haec:

malan' aetate mavis male mulcari exemplis omnibus?

Vbi illud „exemplis" intellegendum de exemplis aerumnarum.

Neque alias calamitates ac lamentationes quaeque tragico cothurno digna (unde et Euripides Archelao regi roganti ut de se tragoediam scriberet abnuit, quod nihil esset tragoedia nisi miseriarum comprehensio) afuere ab hoc carmine. Velut ap. Non. pg. 146 s. l. orbitudinis habes haec:

miseret lacrimarum, luctuom, orbitudinis.

Porro mulier quaedam atrata memoratur sic (Non. 179, 16; 116, 3):

set quaenam haec mulier funestast veste, tonsu lugubri?
tamen et statei (pro „staturae") gracilitudo propemodum et luctus facit,
ne dubitem.

Vbi haeret incertus animi quidam, fortasse Amphitryo, deinde agnoscere sibi videtur feminam luctus signa praeferentem.

Atque huius verba videntur esse:

pertolerarem vitam cladesque exanclarem inpetibiles.

Potuere praecedere velut haec:

quodsi spes restaret ulla in melius mutandi mea.

Consolantis eam est responsum:

quin meum senium cum dolore tuo coniungam et conparem.

Vbi „senium“ idem quod „aegritudo“. Potuit praemitti ut puta: „vix mihi tempero“.

Ad idem diverbium agnitione, ut videtur, mutua facta nescio an pertineant ea quae sunt:

hocin rest, quo tam temeriter tu meam benevolentiam
interisse es ratus?

Sed quaenam mulier sit illa plane obscurum. Nam quae in Amphitryonis fabulis memorantur Alcmene, Comaetho, Megara (Ribb. pg. 555), nullo videntur pacto posse intellegi.

Nihil est quod promatur de versu illo:

ut tam obstinato tu animo confisus tuo.

Vbi pro „ut“ fortasse scribendum „at“. Praeterea additum a me illud „tu“, ut hiatus amoveretur haut tolerandus. Frustra Ribbeckius „obstinatod“.

In relicuis, quae servata ex hac fabula, immorari non est tanti.

XII. Andromeda.

Vt graeci tragici, ita latini saepe retractarunt commenta priorum. Veluti ab Accio celeberrima Andromedae fabula post Livium et Ennium denuo adornata. Et Ennius quidem Euripidem secutus iam obiectam beluae marinae proposuit Andromedam; Accius ante causas et origines eius casuum aperuit. Cf. Ribb. pg. 561.

Itaque hic cursus videtur fuisse fabulae, ut propter Cassiepiae, matris Andromedae, malefactum, quae certamine pulchritudinis oblato Nereidas laeserat, immisso monstro certo tempore, fortasse novilunio (cf. Ribb. pg. 561), offerrentur delecti ex Aethiopum iuventute, et ad ultimum ipsa Andromeda, filia regis. Quam deinde ceteris ipsoque Phineo patruo eodemque sponso recusantibus liberavit Perseus, liberatam sibi matrimonio iunxit.

Ad Cassiepiae culpam videntur spectare illa, quae in prologo potuere poni:

muliebre ingenium, prolubium, hora, occasio.

Aethiopum de victimis, quas usque praebere monstro adigerentur, querentium esse conicio illud:

nósque ut seorsum dívidos leto ófferas.

Verba Cephei ad Aethiopas fuisse existimo, promittentis se filiam beluae, cui tributum pendere essent coacti, ad finiendas miserias esse oblaturum:

nam postquam per nos vos oppressit famulitas.

Vbi cdd. „postquam parvos vos". Atque in his etiam potuit habere locum versus:

cum ninxerint caelestium molimina.

Sic enim haec videntur scribenda. Cdd. Prisc. pg. 882 habent „molem mihi"; „molimine" scripsit Grotius. „Ninxerint" idem quod „ingruerint"; „cum" causale.

De loco ubi exponi solebant corpora dicta haec (Non. 323, 10):

inmani tabe templum obvallatum ossibus;

ubi alii legunt haud male (nam in codicibus est fere „inmanitate habet templum"):

inmane te habet templum obvallatum ossibus.

Haec si magis placuerit lectio, Andromedam compellari apparet. Ad eandem pertinet octonarius iambicus:

misera („misere" Bothius) obvallata saxo, sanie, pedore alguque et fame.

Iacebat circa eam cumulus reliquiarum corporum adesorum a belua:

qui neque terraest datu' nec cineris causa umquam evasit vapos.

Imploratur vel Phinei vel Persei auxilium verbis hisce (Macrob. grammat. lat. V, 607):

nisi siquid tua facultas nobis tulat opem.

Vbi cdd. „nisi quod", item „operam". Et Bothius talem effinxit trimetrum:

nisi quid facultas tua tulat nobis opem.

Fortasse trochaici numeri servandi:

nísi quid tua facúltas nobis túlat opem....

Phineus rogatus, cum deficiat animo, nihil habet nisi docte dicta, quibus firmet matrem, ut opinor, Andromedae, aerumnarum causam:

néc quei te adiutem inveno,
hórtari pudét, non prodesse, id piget....

Sic enim haec videntur restituenda, nisi potius scribetur „nec quei te adiuter inveno"; sicut Pacuvius active posuit illa „adiutatur", „adiutamini". Cet. cf. comm. in Non. 424, 3. 4. „Inveno" pro „invenio".—Et porro:

multi iniquo, mulier, animo sibi mala auxere in malis,
quibu' natura prava magi' quam fors aut fortuna obfuit.

Profectis omnibus sola nutrix videtur remansisse apud Andromedam. Ad quam casu delatus Perseus ab illa, quid rei esset, accepit. Deinde se ad auxiliandum certa condicione proposita paratum declaravit. Nam trimetro hoc:

„alui, educavi." „id facito (cdd. „facite") ut gratum sit seni" videtur sermo contineri inter nutricem et Persea. Sequitur dialogus inter hunc et Cephea. In quo virtus illius opponitur segnitiae Phinei. Etenim Persei sunt verba:

namque, ut dicam, segnitate timidum dubitare haut meumst.

Cf. comm. in Non. 174, 25. Illud „ut dicam" additum, quod gloriosius iactata possent videri quae secuntur.

Deinde Perseus pretium liberatae Andromedae ipsam poposcit in coniugium Andromedam. Quo impetrato certus de belua profliganda addidit haec (cf. Ribb. pg. 563):

quod beneficium hau sterili in segete, rex, te obsesse intelleges.

Cf. comm. in Non. 395, 26.

Denique utrum pugnae post ereptam morti Andromedam adversus Phinea initae, quam magnifice describit Ovidius Metamorphoseon quinti libri initio, memoria fuerit apud Accium necne, non constat. Certe tricas Perseo motas ac moras a Cepheo sive Phineo, Andromedam autem spreta Phinei ignavia a Persei, cuius beneficio esset servata, stetisse partibus declaratur hoc versu:

donec tu auxilium, Perseu, tetulisti mihi.

Cf. Ribb. pg. 563 sq.

XIII. XIV. Antenoridae. Deiphobus.

Antenoridas Sophoclis fuisse fabulam constat. Sed quaenam in ea filiorum Antenoris partes fuerint plane incertum. Probabile quidem est admodum hanc tragoediam spectari, cum narrat Strabo XIII pg 608 (cf. Liv. lib. I init.) Sophoclem referre capta Troia a Graecis pantherae pellem suspensam in foribus domus Antenoris, quo signo servaretur, eumque cum liberis et Henetorum reliquiis (nam dux eorum Pylaemenes erat interfectus; cf. Il. V, 576 sqq. cum commentariis doctorum) in Thracen, post in sinum Adriatici maris confugisse. A quibus deinde Venetos appellatos frequens erat apud veteres fama. Sed ita res non magis expedita. Porro memoria dignum, quod tradit Vergilius Aen. VI, 483 sq. Antenoridas tres bello Troiano interfectos; nec potest negari quae restant fragmenta fabulae Accianae paucissima bellorum potius quae Troiae ruinam praecessere continere memoriam. Etenim novi socii Troianorum post Hectoris caedem adventantis (incertum utrum Penthesileae an Memnonis an Coroebi) mentio fit versu hoc:

namque huce venio, ut mea ope opes Troiae integrem.

Ad hunc advenam haud male rettulit Ribbeckius versus a Nonio 341, 20 servatos; ubi cf. commentarium nostrum. Ad colloquia autem cum Graecis de pace ineunda possint trahi illa:

ad populum intellego
referundum, quoniam horum aequiter sententiae
fuere.

Vbi de adversantium adstipulantiumque paci firmandae principum Troianorum disceptationibus agi non improbabile.

Et potuit in consilio illo eis, qui obtrectarent foederi feriendo, temeritas exprobrari ita:

fortasse an sit, quod vos hic non mertet metus.

Cf. comm. in Non. 138, 30; Ribb. pg. 408.

Iam cum satis constet in tragoedia Sophoclis ipsum Troiae tractatum exitium, contra apud Accium certum sit extitisse memoriam eorum quae paullo ante gesta sunt, neque probabile sit unius carminis spatio utrumque potuisse contineri, suspicio oritur non ex Sophoclis fabula repetendam Accianam. Cuius argumentum non improbabiliter ita definias, ut dicas ea fuisse tractatum Antenoris cum filiis studium

reconciliandae inter Troianos et Graecos pacis, sed antequam ad populum referre possent de ea, impeditam rem adlato repente nuntio (cf. Non. 513, 22) de auxilio insperato. Tum ipsum ducem sociorum novorum advenisse. Quo facto recusatam rursus pacem; fortasse et nova proelia conserta et partem Antenoridarum haustam.

In fine autem fabulae potuit praedici divinitus, fore ut excisa Troia Antenor (cuius quidem in Sophoclis pariter et Accii fabula exiguae videntur fuisse partes) cum suis, quod optime essent meriti de populo utroque, servarentur et in Illyria (cf. Verg. Aen. I, 242 cum comm. Serv.) novas conderent sedes.

Deiphobo etiam ut Antenoridis res Troiae in extremis agentis describi apparet. Nam memoratus ibi equus ligneus; cui inscriptum fuisse tradit Accius hunc versum:

abeuntes Danai Minervae donum armipotenti dicant.

Porro captam Troiam Helenaeque et die, qui praecesserat, et nocte, quae extrema fuit urbi, dolos et insidias, quibus ipsum cepit Deiphobum (cf. Aen. VI, 494 sqq.), relata apparet.

Quae leguntur apud Nonium pg. 534 s. l. lembus, cum comoediae magis quam tragoediae apta esse videantur cumque vix credibile sit Sinonem in ulva marina delituisse longe ab eo loco, ubi equus ligneus erat positus, ut casu inveniendus esset piscatori, a quo detectum putat Ribbeckius, non est improbabile ex comoedia aliqua petita, Accianae autem Deiphobi locum cum nomine comici interceptum. De quo dictum in commentariis. Sinonis capti fit mentio versu quem servavit Priscian. pg. 861; 904 s. v. nexo. A Sinone Vlixis scelera exagitantur loco a Nonio allato 314, 18. Cf. Aen. II, 90 sqq.

XV. ·tigona.

Nimio, puto, usus fastidio Ribbeckius pg. 483 Sophoclis Antigonam, carmen absolutissimum, barbara interpretatione deformatam ab Accio statuit.

Nec enim in fragmentis quae extant paucissimis (sex sunt numero) invenitur, quod crimini vertendum sit ei. Porro ne hoc quidem certum, solum Sophoclem, cuius sane tristitia exitus aequat carmen, exemplo fuisse Accio. Potuere quaedam trahi ab Euripidis fabula cognomini, cui diversum et quidem laetum finem fuisse testantur schol. Antig. Soph. v. 1350; cf. et argumentum eiusdem.

Fallitur item Ribbeckius, quod versum illum (Non. 165, 2):

quid agis? perturbas rem omnem ac resupinas, soror!

ubi „resupinas" explicatur per „ab incepto revocas vel pervertis", Ismenae tribuit, cum sit Antigonae, postquam Ismena negavit ei se sociam fore.

Duo vero tragoediae huius fragmenta servata Macrobii opera (Saturn. VI, 2, 17; VI, 1, 59), qui saepe neglegentior est in citandis poetis antiquioribus, maxime quod ad metricam. Ex quibus altero continentur verba Ismenae ad Antigonam:

quanto magis te istius modi esse intellego,
tanto, Antigona, magi' me par est tibi consulere et parcere.

In his prior versus et sensu, nisi fallor, et metro mancus ita videtur esse supplendus:

quanto magi' te isti modi esse captam studio intellego.

Vbi „isti" pro „istius" restitutum a Ritschelio. In sequentibus illa „tibi consulere et parcere" cum suis stent numeris, tamen „parcere" apparet dici inepte, sive servaveris praecedens „et" sive deleris. Videtur altior haerere macula. Ac nescio an olim fuerit „tibi consulere, ut porceam".

Ad Antigonae facinus item pertinuere ea quae sunt:

heús, vigilés, properáte, expérgite!
péctora tárda sopóre, exsúrgite!

ac porro:

áttat, nisi me in óbitu fallit sónitus.

Ex quibus apparet coram spectatoribus et raptum furtim Polynicis corpus et detectam auctorem facinoris, cum de utroque per nuntium referatur apud Sophoclem. Ceterum dactylicis tetrametris iam Ennius usus.

Prorsus autem obscurum illud (Non. 352 s. l. numero—cito):

ne istunc numero amittas subito oblatum.

Quae potuere locum habere in historia tali, qualem proponit Hyginus fab. 72, ubi refertur Creontis nepotem, quem furtim ex Antigona rure occultata sustulisset Haemon, post multos annos casu agnitum ab avo, sed hunc ne Herculis quidem precibus adductum, ut Haemoni, qui contra iussa Antigonae pepercisset, et uxori ac stirpi ignosceret. Sed enim haec tractata ab Accio abhorret a fide.

Denique Antigonae ad mortem ductae fuere, quae altero loco citat Macrobius:

iam, iam neque di regunt
neque profecto deum summus rex omnibus curat.

Quae et numeris et sensu perversa. In priorẽ versu videtur restituendum „iam iam neque nos di regunt"; in posteriore vel mutatis loco verbis cum Bothio reponendum „rex summus" vel, ut in Borbonico codice legitur, scribendum „supremus rex". Porro nescio an sit ita concinnandus:

neque profecto deum rex summus hominibus curat..

Vbi dativus positus, ut alibi apud vetustissimos, pro accusativo. Iambus ultimus fortasse omissus Macrobii culpa. Et possunt varia suppleri, velut „piis".

XVI. Armorum iudicium.

Armorum iudicium post Pacuvium servato etiam titulo retractatum ab Accio. Idem Ennii Aiace erat perscriptum. Apud Accium autem pariter atque Pacuvium ipsum certamen iudicio se offerentium Aiacis et Vlixis propositum; deinde res continuatae usque ad sepulturam Aiacis. Et concertatio quidem disceptatioque aemulorum frequentem praebuit materiam rhetorum scholis, atque ob id ipsum spectatoribus Romanis, rhetoricorum praestigiorum amantissimis, fuit aptissima. Hinc apparet non potuisse Sophoclis celeberrimum carmen solum exemplo esse aut Pacuvio aut Accio; quamquam versu illo:

virtuti sis par, dispar fortunis patris,

ubi „virtuti" est ablativus, respicitur Sophoclis v. 550 sq.

Fragmenta, quae extant numero XV (praeterea bene ad eandem tragoediam relata a doctis, quae leguntur apud auct. ad Herennium II, 26, 42; Cic. de off. III, 26, 98; Charis. pg. 252 P., ubi ipsum illud dactylicum „Hectora" vetat de Ennio vel Pacuvio cogitari auctore), cum sententia sint fere perspicua, paucissima habeo quae addam. Versum, qui fertur ap. Non. pg. 120 s. l. hiscere pro loqui:

hem, vereor plus quam fas est captivum hiscere,

plerique „captivam" reponentes cum ad Tecmesam, coniugem Aiacis, rettulerint (cf. Soph. v. 894), poterit servari lectio tradita, si existimaris haec prolata a captivorum quodam Troianorum, qui recusaret

metu iudicium, quod efflagitabant Graeci, de Aiace ferre et Vlixe Cf. de Pacuv. fab. pg. 18.

Ad insaniam repente ortam Aiacis pertinet hoc:

bene facis. sed nunc quid subiti mihi febrim excivit mali?

Non. 237, 24:

cur vetera tam ex alto adpetissis discidi, Agamemno, initia?

Haec a Teucro vel Vlixe ad Agamemnonem dicta, qui, cum de Aiacis sepultura ageretur, antiquas simultates nescio quas sive suas sive maiorum cum Telamonis domo prompserat.

Non. 143, 19:

.... quei nóxitudo oblítteretur Pélopidum
ac pér nos sanctescát genus.

Non improbabile scribendum cum Hermanno „per vos", ita quidem ut Vlixis sint verba hortantis Agamemnonem, ut Aiace sepulto scelera gentis suae expiaret, et gloriam ex eo futuram ostentantis. Cet. cf. Ribb. pg. 373 sq.

Denique versus ab Ottone Muellero Hermae Berolinensis a. 1875 pg. 117 ex Cic. pro Sestio 21, 48 feliciter recuperatos ac tributos Aiaci:

.. ne videret vivus victorem inimicum, manu
eadem sibi vitam exhausisse, qua mortem saepe hostibus
obtulisset,

utrum Pacuviani an Acciani sint Armorum iudicii (nam de Ennii Aiace vix cogitaris) incertum.

XVII. XVIII. Astyanax. Troades.

Astyanactis, filii Hectoris, exitium frequentissime tractatum a poetis. Ordo et decursus fabulae Accianae satis certi. Comparandae Troades Euripidis, item Senecae ipsiusque Accii.

De Graecorum duce quodam (Neoptolemum fuisse putat Ribbeckius pg. 413) posita haec:

qui nostra per vim patria populavit bona.

„Nostra bona" dicta ut in Armorum iudicio: „nam non facile sine deum opera humana propria sunt bona".

Eversa Troia motaque ira Minervae propter scelus Aiacis minoris obscena sunt denuntiata omina a Calchante vate. Sed is pessime

acceptus sive a Menelao proficiscendi cupido sive ab Agamemnone propter vetus odium. Cf. Il. I, 106 sqq.

tu, Calcha, finem religionum fac, desiste exercitum
morari ac med ab domitione arcere tuo obsceno omine.

Cf. Non. 357, 8. Indictum tamen ea de re consilium:

nunc in consilio id reges Argivum aucupant,
id quaerunt.

Vbi unus ex ducibus in vates est invectus, qui frequentissime criminibus appetuntur apud poetas latinos antiquissimos. Cf. vit. Enn. pg. 70 sqq.

nil credo auguribus, qui auris verbis divitant
alienas, suas ut auro locupletent domus.

Iam facto decreto, ut Astyanax, quem in montibus propinquis abdiderat mater vel avia, ad mortem raperetur, ad excusandum facinus fuit qui virtutem patris Hectoris, viri fortissimi et Graecis, dum viveret, gravissimi, extolleret ita:

Troiast testis. quaere ex aliis, qui illius miseritudine
nomen clarum in tumuli saxo multis memorant vorsibus.

Vbi fortasse reponendum „quaere ex illis, qui eius miseritudine“. Itaque etiam stirpem eius funditus tollendam:

propter tot tantasque havemus vastitates funerum;

scil. Astyanactis metu carere.

Vbi in codicibus est „habemus“. Quod si cum Bothio scripseris „te propter tot tantasque habemus“, Helenam, excidii Troiae auctorum eandemque Graecis pariter et Troianis invisissimam, compellari manifestum.

Immitem Graecorum animum post Polyxenam etiam Astyanactem efflagitantium ad necem ita describit vel Hecuba vel Andromacha:

quorum crudelitatem numquam ulla explet satias sanguinis.

Ad unum ex ducibus Graecorum vel Astyanactis caedi vel ceteris, quae patrandi reditus sive dividendae praedae causa instituerentur, adversantem, ut Pyrrum vel adeo Menelaum fratrem, pertinebant Agamemnonis, ut puto, dicta haec:

ferum feroci contundendum imperiost, saevum saeviter.

Denique Hecubae esse, Polyxena et Astyanacte orbatae, quae de Cassandra dicta Non. 487, 19; Agamemnonis, quae de eadem 485, 23, adsentior Ribbeckio.

Ex verbis Hecubae de Cassandra et ex versu supra adscripto „quorum crudelitatem" e. q. s. cum satis appareat etiam Polyxenae mortem in hac tragoedia memoratam, Astyanactem et Troades unam fuisse fabulam dubitanter coniecit Ribbeckius. Quae res ideo parum videtur probabilis, quod in eodem cap. V a Nonio utraque memoratur.

Qui ex Troadibus ab eo adfertur locus, plenior legitur apud Servium Danielis in Aen. I, 179. Et videtur ita scribendus:

ne tu iam saxo fruges frendas (vel „frendes") torridas.

Manifestum unius ex feminis captivis, fortasse Hecubae, servitutem futuram ita cum minis describi.

Alterum fragmentum, a Prisciano pg. 680 servatum:

sed utrum nunc terrae motus sonitusne inferum
pervasit auris inter tonitra et turbines?

bene comparatur a Ribbeckio cum eis, quae de Achillis umbra subito prodeunte et Polyxenam, ut debitam victimam, poscente narrat Seneca Troad. 179 sqq.

XIX. Athamas.

Aeschyli fuit tragoedia una Athamas, adeoque duplex Sophoclis. Conferenda, quae de eis in fragmentis trag. graec. adnotata sunt a Nauckio.

De Athamante cum duplex ferretur fabula (cf. Apollod. I, 9, 1; ib. 2), quarum altera tradebatur Inus novercae calumniis effectum, ut Phrixus et Helle privigni patrem patriamque relinquere cogerentur, altera deinde in furorem conversum Athamantem grassatum in Ino et quos ex ea sustulerat liberos, quae Ovidii est nobilitata carmine (cf. Metam. IV, 416 sqq.), Ribbeckius eam ab Accio vult tractatam, quam refert Hyginus de astronom. 20 pg. 466 ed. Staveren.

Is enim narrat Demodicen, Crethei Athamantis fratris uxorem, cum Phrixus amorem eius esset aspernatus, calumniis effecisse, ut iuvenis a patre ad mortem destinaretur. Verum nubis (i. e. Nepheles matris) interventu eum cum Helle sorore ablatum Colchidem, deinde reductum a Mercurio in patriam et reconciliatum patri.

Iam fabulam hanc, aliunde ignotam, cur materiam fuisse voluerit Accio Ribbeckius, equidem nullus intellego. Qui haud facile dixeris quomodo Phrixo, immuni plane sceleris et experti, potuerit tribuere talia:

> veritus sum arbitros, atque utinam memet possim obliscieri
> cuiust vita indecoris, mortem fugere turpem haut convenit;

quae apparet plane noxii esse et conscientia scelerum exagitati. Illud enim mitto, fabulam, in qua Phrixi potissimum essent partes, vix Athamantis potuisse nomine inscribi.

Itaque magis probabile est Athamantis res describi hac fabula. Qui memoria anxius eorum, quae prius Inus calumniis inductus in Hellen et Phrixum, dein iniecto a Iunone furore in Ino Learchumque et Melicerten molitus esset, suorumque vel adeo populi totius pressus odio (cf. Non. 470 l. miserarent) videtur frustra monitus, u in exilium abiret (cf. Non. 324 l. invadere), gravissimisque obiectus periculis, sed eis tandem ereptus. Atque huc pertinere existimo versum (Non. 315, 19):

> beneficiis hostimentum peperisti grave.

Et fuit fama Athamantem a Nephele, quae poenas repeteret Phrixi et Helles ab illo laesorum, ad Iovis aram victimam deductum, sed Herculis interventu servatum. Eundem eiectum ex Boeotia tandem oraculi monitu sedes fixisse novas in terra, quam Athamantiam vocaret, ibique tertium inisse matrimonium narrat Apollodorus I, 9, 2. Relicua incerta. Fragmenta, ut complurium Accii fabularum. a solo servata Nonio.

XX. Atreus.

Gravissima Atrei ac Thyestae fratrum inter se odia, quae ignorat Homerus, Atticis tragicis inde a Sophocle, cuius fuit Atreus, item duplex Thyestes (et Euripidis citatur Thyestes), frequentissimam praebuere materiam carminum, deinde et Romanis. Quos vel hoc allexit quod ea largissimum offerebant campum artificiis praestigiisque rhetoricis, Caesarum tempore etiam occasionem perorandi in tyrannos, non quidem semper impune. Nam Tiberio imperante Atreus tragoedia exitii causa extitit Aemilio Scauro. Cf. Tac. Annal. VI, 29.

Igitur idem argumentum, quod Thyeste Ennius, Atreo persecutus, est Accius, quam iuvenis admodum scripsit fabulam.

Quae servata sunt fragmenta haud ita pauca, partim Ciceronis beneficio, qui quaedam ex eis illustravit, partim collato Thyeste Senecae, vel quod sententia sunt perspicua, non praebent multum difficultatis; adeoque quo ordine sit disponenda eorum maior pars satis apparet.

Prisc. pg. 698, ubi demonstratur apud vetustissimos inveniri illud socrus masculine:

simul ét Pisaea praémia arrepta á socru possedít suo.

Ita Ribbeckius numeris nullis; nam „socru" ab Accio pyrrichiace elatum nego. Reponendum:

simul et praemia
Pisaea arrepta a soceru possedit suo.

Vbi mutata locis ea quae sunt „Pisaea praemia" debentur Vossio. Praeterea nescio an scribendum sit „simul ut". Nam scelera et calamitates Tantalidarum hic ut apud Sophoclem Electr. 504 sqq. a dolo, quo Pelops potitus est Hippodamiae, Oenomai filiae, coniugio, et quae eum secuta sunt repeti probabile. Cf. Ribbeck. pg. 448.

Etiam versus ter citatus a Cicerone:

maior mihi moles, maius miscendumst malum

concinnior erit et modulatior, si reposueris vel „mihi maior moles" vel certe „maior mi moles".

Prisc. pg. 873:

epularum fictor, scelerum fratris delitor.

Haec quid significent perspexit Ribbeckius (cf. pg 453), excepto quod illud „delitor" minus recte ab eo redditum existimo per „der ausloescht". Videtur potius esse idem quod „purgator". Dicit Accius iam purgatum crimine Thyesten commissorum in fratrem scelerum, cum hic epulis atrocissimis appositis maiora prompserit in illum.

Praeterea cum Accius non, ut Seneca, ultro arcessitum ab Atreo Thyestem, sed, ut Varius, sponte reversum, quod novas insidias videretur machinari, fide data deceptum proponat (cf. frgm. III; XV), versus illos (Non. 281, 5):

egone Argivum imperium adtingam aut Pelopia digner domo?
quoi me ostendam? quod templum adeam? quem ore funesto adloquar?

prolatos existimo ab hoc non post epulas, sed ante, cum veniam fidemque imploraret fratris exul, ad suspicionem, qua imperium affectare arguebatur, refellendam.

Denique nihil est cur credamus aliter Accii finitam fabulam ac Thyesten Ennii et Senecae, hoc est exsecrationibus flagitii, quod aversatus ipse Sol ferebatur retro egisse equos, imprecationibusque per desperationem iactis a Thyeste. Nam. Ribbeckius, incertis omnino indiciis usus, dubitat an post scelus perpetratum Atreus Thyestem, quod novas eius machinas timeret, vinxerit adeoque occiderit, quod fecisse eum tradunt schol. in Eur. Orest. 800.

XXI. Bacchae.

Extant Bacchae Euripidis, quam expressam ab Accio fabulam ostenderunt Scaliger aliique. Quae in solo extant carmine latino, ea, ut plerumque, incertum, utrum alio exemplo adhibito an ingenio novata sint a poeta.

Magna autem pars eorum quae restant in Bacchantium habitu et orgiis describendis versatur. Porro in paucis admodum lectio incerta.

Quae cum ita sint, praeter ea, quae in editione Nonii sunt notata, quod addam vix habeo. Verba a Festo loco manco pg. 314 ed. Muell. s. l. stipes servata magis numerosa fieri, si reponatur: „ecquem stipitem aut abiegnum aut alneum?“ iam in editione Ennii pg. 140 est adnotatum.

Bacchi laudes, ut aliis fragmentis, contineri videntur hoc (Non. 116, 17):

quia neque mors neque vetustas neque grandaevitas.

Sequebantur ut puta talia: „obscuritatem inducet eius gloriae“. Cet. cf. comm. in l. m.

Varietatem fortunae humanae respici existimo eis, quae sunt (Non. 144, 10):

sole splendet saepe, ast idem nimbis interdum nigret.

De aethere dicta recte statuit Bothius, a quo primum suppletum verbum. Porro notandum illud „ast“ pro „at“; quod hoc solo loco invenitur in tragoedia latina ante Senecam.

Denique illa:

quanta in venando affectist laetitudine;

ubi „affecti“ genetivus est, dictus pro „affectus“, verba sunt eminus prospicientis Agauen instantem Pentheo vel cum spoliis eius bacchantem, non nuntii, ut apud Eurip. v. 1144.

XXII. Chrysippus.

Chrysippum, Pelopis ex paelice natum, cum praeferretur a patre filiis legitimis, Hippodamiae novercae opera ab Atreo et Thyeste vel, ut alii ferebant, ab ipsa Hippodamia interfectum, hanc autem poenas pependisse flagitii fama fuit. Cf. Ribb. pg. 444 sq.

Fuit Euripidis Chrysippus, in quo Laii, amatoris Chrysippi, partes fuere magnae. Porro servatum ex eo carmine fragmentum luculentissimum, de quo ad Pacuvii Chrysen quaedam dicta a nobis. Quae restant, ut plerumque in mancis Euripidis tragoediis, maiorem partem continent sententias ad vitam regendam utiles, non ea, ex quibus fabulae decursus possit agnosci. Neque ex Accii carmine, cui exemplo fuisse Euripidem satis probabile, multa possunt deduci, quae ad filum velut rerum actarum redintegrandum faciant. Accedit quod fragmentorum quinque, quae extant, pars corrupta gravius. Quae quidem ego sic existimo disponenda et explicanda:

I.

huic qum superescit Spartam atque Amyclas trado ego.

Verba Pelopis de Chrysippo haud exigua Peloponnesi parte donando. Pro „huic qum“ cd. Festi pg. 302 s. l. superescit habet „quin hinc“; in eodem omissum „ego“; ideoque „tradibo“ Ribbeckius, „tradam“ Lindemannus.

II.

aeternabilem
di utinam pacem partissint!

Verba Pelopis ad concordiam hortantis suos. — pro „di utinam“ cdd. habent „divitiam“; ab isdem abest „pacem“.

III.

melius pigrasse, quoniam (vel: quando) properasse est nefas.

Verba Atrei et Thyestae metu patris Hippodamiam a calidioribus revocantium consiliis.

IV.

„quid agam? vox illiust certe“.—„idem omnes cernimus“.

Verba Pelopis, dum silvestria peragrat cum suis loca, audientis vocem Chrysippi subitis insidiis oppressi.

V.

neque quisquam a telis vacuus; sed uti quae obviam
fuerant, ferrum aliis, aliis saxi raudus est.

Descriptio comitum Pelopis cum patre ad iuvandum Chrysippum tendentium.

Laii autem amatoris Chrysippi, a quo raptum hunc, sed a patre recuperatum tradit Hygin. fab. 85, quemque post abductum, sed reportatum Chrysippum ab Hippodamia falsa suspicione caedis Chrysippi, quam ipsa patraverat, frustra petitum refert Dositheus (Hist. Graec. fragm. ed. Muelleri IV, 402, 7), numquae partes fuerint apud Accium plane ignoramus.

XXIII. Diomedes.

Diomede tragoedia eandem Oenei a Diomede nepote depulso Agrio restituti fabulam persecutus est Accius, quam Periboea tractaverat Pacuvius. Sed quae extant fragmenta numero XII non multum faciunt ad argumentum illustrandum. Non eiectum ab Agrio fratre Oenea, ut apud Pacuvium, sed in carcerem coniectum demonstrant verba illius:

ita fletu et tenebris obstinatus speciem amisi luminis
conspiciendi insolentia.

Vbi „speciem" dictum pro „aciem". Illud „luminis conspiciendi" suspensum ab insolentia. Cet. cf. comm. in Non. 322, 26.

Ex filiis Agrii unus ita compellat patrem:

adsum apud te, genitor.

Ad postulata huius iniqua sic respondet Agrius:

numquam perpellar, gnate. pol, ne adtenderis
petere a me id quod nefas sit concedi tibi.

Diomedis diffidentis primum viribus suis ideoque Calydone Argos repetere instituentis ante deiectum Agrium videntur fuisse haec:

ergo med Argos referam (nam hic sum nobilis),
necui (i. e. ne cui) cognoscar noto.

Quod consilium postea immutavit, cum ex amicis quidam obiecisset haec:

multa amittuntur tarditie et socordia.

Non improbabile Agrium in tempore monitum, ut consilia praecaveret Diomedis. Ad praemium autem nuntio tali rependendum potuerunt pertinere haec:

benigne ei pro beneficio largi atque ampliter.

Vbi „largi" dictum pro „largire".

Impotentiam Agrii apud Diomedem Calydonii queruntur ita:

foede exanclavimus
tyranni saevum ingenium atque execrabile.

XXIV. XXV. Epigoni. Eriphyla.

In Epigonon tragoedia Sophoclem observasse videtur Accius; cf. Cic. de optimo gen. orat. 6, 18. Reliquiae duplici laborant difficultate. Primum enim saepius illa librariorum culpa confusa cum Erigona, de qua re supra, sub nr. V; VI, memoravi. Quamobrem etiam huius fabulae quaedam erunt retractanda, quorum de origine non satis constat. Praeterea dubitatur an Epigoni eadem sit, sicut nonnullis visum cum Bothio, quae Eriphyla, ex qua unum versum servavit Priscian. pg. 699. — Sed omnino hoc alienum a probabilitate. Mitto quod etiam Sophoclis praeter Epigonos citatur Eriphyla tragoedia neque usquam traditum utramque esse eandem; id quod placuit Welckero. Sed neque Epigonos satis recte potuisse inscribi fabulam, qua non minus quam de illis de interfecta ab Alcmeone matre ageretur, neque Eriphylen, qua de expeditione adversus Thebas instituenda tractaretur tanto impendio, satis apparet. Accedit, quod ita res plane diversae inter se inconcinne omnino copulantur; cuius vitii evitandi neminem fuisse magis studiosum tragicis vetustis constat.

Igitur quod Ribbeckius existimat Epigonis describi Eriphyles caedem, insaniam autem, quam hoc facinore polluto Alcmeoni incidere destinatum erat, deorum beneficio dilatam post bellum, omnino improbandum. Quem praeter diversam veterum traditionem praeterque ea, quae supra dixi, fugit nullo pacto potuisse Epigonis ducem designari expeditionis ab Apolline virum matricidii scelere pollutum.

Quae cum ita sint, contineri Epigonis apparet conatus Epigonorum ad bellum una ineundum excitandi Alcmeonem eiusque tergiversationes (nam primum omnium matrem punire in animum induxerat) calliditate illorum et ipsius Eriphylae, quae iterum, ut ante prius bellum Thebanum, corrupta est muneribus, auctoritate tandem victas. Cf. Apollod. III, 7, 2.

Neque abhorret a probabilitate in ultimo carmine numinis interventu et Alcmeonis fratrisque Amphilochi dubitationes victas et expeditionis secundum exitum caedemque Eriphylae praedicta. Quod si ita fuit, comparari potest finis tragoediae cum Philoctetae perinde Sophocleae.

Fuit autem scena Argis:

apud abundantem antiquam (f. Argivam) amnem et rapidas undas Inachi.

Prope urbem castra erant posita ducum, unde profecti precibus ambiebant Alcmeonem. Cum quo longo actum diverbio, septenariis trochaicis.

Igitur unus ex eis, Thersandrus haud dubie, Polynicis filius (cf. Ribb. pg. 489), nisi Erigonae potius quam Epigonis adscribenda essent sequentia (cf. comm. in Non. 20, 8), potuit primum aperire, cur colloquii secretum elegisset locum:

eaque hoc (sc. feci) causa, ut nequis nostra verba cleperet auribus.

Recusantis Alcmeonis animus patrum ulciscendorum demonstrata necessitate temptatur:

quibus oculis quisquam nostrum poterit illorum optui
vultus, quos iam ab armis anni porcent?

Atque hic potuit habere locum versus ap. Non. 230, 27 servatus, si scribatur ita (cf. comm.):

nonne Argivom fremere bellum et velle vi vulgum vides?

Argivom pro Argivorum.

Quod si Epigonon potius quam Erigonae sunt, quod tamen minus probabile (cf. comm. in Non. 185, 18), quae infra ponuntur, obiectum est ab Alcmeone, quod primum ab Apolline iussus esset matrem afficere poena:

qui, nisi genitorem ulso, nullum meis dat finem miseriis.

Matricidii certe committendi mentio continetur hisce:

fateor; sed cur propter haec pigrem aut huius dubitem parcere capiti?

Quae paulum diversa Amphilocho fratri Alcmeonis tribuit Ribbeckius velut adversanti Eriphyles caedi; cf. pg. 491. Sed neque de tali fratrum dissensu alibi quidquam traditum et „pigrare" si positum

sit pro „timere“ (id enim a nobis restitutum; vulgo pro eo ponitur „retinere“), etiam minus apte verba supra adscripta explicantur, ut illi placuit. Sunt potius ipsius Alcmeonis affirmantis Thersilocho instanti se nullis terroribus ac furiis posse impelli, ut parcat matri. Ibi dubitandi verbum, ut interdum fit, adnuentis potius quam abnuentis adhibitum sensu; sicut apud Tacitum Annal. IV, 57 „nam dubitaverat Augustus Germanicum—rei Romanae imponere“.

Perstante in proposito Alcmeone non videtur minis temperasse Thersandrus, si modo recte a nobis restituta, quae feruntur Non. pg. 342 s. l. mactare:

> mei (i. e. mihi) nunc adsis! an te exilio mactem ec terris Pelopiis?

Certe quae a nobis reddita, quam minimo distant intervallo a memoria codicum. Cf. comm. in h. l.—Igitur exilii poenam minitatur Thersandrus adversanti, nisi concedat.

Ita tracto sermone finis fit agendi ducibus subito appropinquante Amphilocho; quem sequitur expeditioni ineundae minime fuisse aequum, haut dubie ideo, quod primo loco puniendam existimaret matrem:

> sed iam Amphilochum huc vadere cerno et
> nobis danitur pausa loquendi
> tempusque in castra reverti.

De versu medio, in quo vetustissima corruptela pro „nobis danitur“ legitur illud „nobis datur bona“ apud Nonium pariter atque Charisium, cf. comm. in Non. 158, 8.

Ita cum res parum procederet Epigonis, preces videntur vertisse ad Eriphylam, quam muneribus captam, sicut ante factum, cum marito causa fieret eundi ad bellum, ab isdem etiam spe depulsi aut certe dilati in longum tempus periculi probabile est temptatam. Sane de his nil traditum in reliquiis Epigonon Sophoclis vel Accii. Sed utrumque ut statuamus res ipsa cogit, si recte supra a nobis demonstratum est argumentum tragoediae.

Contra servata sunt quaedam ex sermone ab Eriphyla, quae propter filii animum aversum pariter atque consilia incerta ducum tum temporis haud mediocri agitabatur angore, cum Demonassa filia, deinde cum Alcmeone ipso habito:

> quid istuc, gnata unica, est, Demonassa, obsecro,
> quod me . expetens timidam e tecto excies?

Quae quod dicit Charisius gramm. lat. I, 288 saturnia esse et certo scandi non posse, illud respexit, quod Accius scenicorum more frequentissimo, sed alieno a dactylicis priorem in „istuc" corripuit, nisi potius scripsit, forma vulgari, sed minime rara usus, „quid stuc". Illud „Demonassa" satis certum; quamquam in codice Charisii unico „demara" vel „demacansq," legere sibi visus est Keilius. Versus alter nondum sanatus. Pro „me" in codice „mecumago" vel „meamego" dicitur ferri. Possunt multa excogitari velut „quod me cursu expetens". Porro huc referenda, si recte constituere docti, quod tamen nobis secus videtur, ea quae Erigonae addita et creticis numeris discripta leguntur Non. 16, 4; ubi conf. comm. Nam ibi alii: Accius Epigonis:

eloquere propere ac meum hunc pavorem expectora.

Et videtur a Demonassa adlatus nuntius ipsum Alcmeonem habitu infesto petere regiam. Secutum est diverbium inter matrem et filium, cui praecessit versus, quem in regiam contendens pronuntiavit Alcmeon (Non. pg. 200 s. l. collus masculino):

quid cesso ire ad eam? em, praestost. camo collum gravem.

Vbi corruptum est necdum restitutum illud „camo". Cum haud dubie agatur de Eriphyla, in comm. Noniano commendavi lectionem talem:

quid cesso ire ad eam. em, praestost. et catella habet collum gravem.

Sed minus placet octonarius positus, cum in verbis traditis, utcumque emendaris, latere potius videatur trimeter.

Altercatione conserta matri, cui mutuis erat odiis suspectus pariter et invisus, instanti acrius, ut invitus expeditionem iniret novam, cum priorem Amphiarao coniugi exitiosam fuisse sciret, haec ingessisse videtur Alcmeo, suspicatus, ut puto, eam iterum corruptam donis:

viden ut te inpietas stimulat nec moderat metus?

Non desistentem adeoque genua eius amplecti conantem tali dicto absterruit:

age, age, amolire, abbite! cave vestem attigas!

Ad abeuntem Alcmeonem eundemque graviter perturbatum et quid faceret incertum, nisi ad Erigonam rectius traherentur, potuere spectare haec (Non. 226, 22):

ita inperitus stupiditate erumpit se, inpos consili.

Iam qua tandem re victa sit Alcmeonis pertinacia, utrum numinis, ut puta Apollinis, interventu an Amphiarai umbra excitata, non liquet. De Amphiarao haud male suspicatur Ribbeckius, secutus fabellam quandam, quam invenire est apud Cic. Tusc. II. 25, 60. Nec est improbabile invocata a ducibus vatis dolo intercepti umbra monitum Alcmeonem, ut prius publicam quam privatam patris exequeretur ultionem, hoc est ut matris poenam post captas nova expeditione Thebas differret.

Et hanc quidem partem Eriphyla tragoedia tractaverunt Sophocles Acciusque. Ex Acciano carmine unus extat versiculus hic:

Pallas bicorpor anguium spiras trahit.

Quo describi partem ornamenti monilis, quod Eriphyle accepit pretium mariti proditi, bene suspicatus est Ribbeckius pg. 493. Itaque narravit poeta in celeberrimo illo ornatu effictam fuisse pugnam gigantum adversus deos; cui interfuit et Pallas corpore anguino praeditus, cuius victi nomen adsumpsisse ferebatur Minerva.

XXVI. Epinausimache.

Epinausimachen a graeco ductam exemplari ut ipse indicat titulus. ita praeter Accii nulla invenitur tragoedia ita inscripta.

Dicebatur a grammaticis hoc nomine liber XIII Iliadis, quo compulsi ad naves Graeci Neptuno vires suppeditante adversus Troianos rem sustinent utcumque. Sed Acciani carminis, cuius quidem fragmenta tantum non omnia a solo servata Nonio, multo latius patebat circuitus. Nam a pugna illa navali, cuius vicissitudines describuntur Il. XIII—XV, usque ad mortem Hectoris pertinebat. Neque id mirandum nimis, cum Enniana Hectoris lytra continuerint res Troianas inde ab XI libro usque ad finem Iliadis. Et firmatur exemplis talibus poetas latinos, ut popularium, hominum bellicosissimorum, satisfacerent desideriis, relicta modestia Graecorum aliquando fuisse nimios pugnis bellisque referendis eosdemque parum curiosos praecepti Aristotelei, quo tragoediae iubentur unius diei aut certe non multo maiore concludi spatio. Sane hoc ne a Graecis quidem semper observatum.

Male autem Ribbeckius, qui neglecto ipso titulo statuit Epinausimache non tractari nisi res post mortem Patrocli gestas. Sed priores etiam ea contineri fabula docent verba Patrocli, opem ferendam Graecis censentis, ad Phoenicem (Non. 500, 1):

eos mortalis, Phoenix, libero
misereor saepe studio et adiutos volo;

ad eundem:

quod si procedit, neque te neque quemquam arbitror
tuae paeniturum laudis; quam ut serves vide.

Vbi illud „quod si procedit" pertinet ad preces, quas Graecorum causa facere apud Achillem iubetur Phoenix. Servare autem laudem monetur Phoenix, quod iam ante Achillem reconciliare studuerat Graecis. Cf. Il. IX.

Ad sermonem inter hunc et Achillem factum videtur pertinere illud:

tamen (scil. post priorem repulsam) haut fatiscar quin tuam
inplorem fidem.

Porro verbis hisce:

probis probatu' potius quam multis forem

exprobrari existimo a seniore iuniori, quod in expetenda de Agamemnone ultione vulgi magis quam sapientium sequeretur iudicia.

Phoenix cum nihil profecisset, ipse Achillem aggreditur Patroclus ita:

nec perdolescit fligi socios, morte campos contegi?

Cet. cf. comm. in Non. 110, 35.

Tandem magis magisque in artum redactis Graecorum rebus cum iam prima navis arderet, Patroclo permissum, ut auxilium ferret, sed caute. Nam Achillis videntur esse haec:

contra tu quantum obfueris, si victus sies,
considera et quo revoces summam exerciti.

Quo spreto praecepto Patroclus nimium usus victoria tandemque interfectus est. Tum missa a Iunone Iris monet Achillem, ut Troianos vehementissime instantes Graecis prohibeat potiri Patrocli corpore. Cf. Il. XVIII 165 sqq. Et dubitanti, quod armis careret Patroclo detractis, videtur hoc respondisse (Non. 256, 39):

proinde id cui fiat, non qui facias, compara.

Vbi „qui" est „quo pacto"; „compara" „cogita", „aestima". Ita incitatus a dea Achilles aegre cohibetur, ne inermis hostibus obviam eat. Nam eius fuit hic versus (Non. 233, 24):

ut nunc sum animatus, si iero, satis armatu' sum.

Tamen permovetur, ut intra fossam, qua castra muniebantur, voce sola usus terreat hostes. Cf. Il. XVIII, 196 sqq.

Sequitur reconciliatio Achillis et Agamemnonis; tum nova pugna, quae finitur morte Hectoris. Atque hunc finem tragoediae Accianae fuisse existimarim, non corpus Hectoris Priamo redditum. Nam quae olim ad hoc rettulerant velut Acciana (cf. Cic. Tusc. I, 44, 105):

immo enimvero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli,

Ennianis Hectoris lytris adsignanda demonstravimus. Cf. ed. Enn. pg. 104. Ibi quod in Ciceronis verbis, ubi Accii nomini nullus omnino locus, repositum „melius et aptius" pro „melius Accius et", nescio an potius sit substituendum „melius ac iustius".

Quae restant fragmenta, cum ut plurimum satis probabiliter explicata sint a Ribbeckio, hic praeteriri possunt. Quem non fugit (cf. pg. 360) verba a Non. 261, 18 sqq. servata non ad argumentum carminis pertinere, sed iacta a Graeco nescio quo ad virtutem priscam Hectoris interfecti extollendam. Contra improbandum quod in verbis a Charisio pg. 101 P. adlatis „Martes armis duo congressos cerneres" ad explendum trimetrum scripsit „Mavortes". Nam illud „Mavors" plane alienum a scenicorum existimo usu, non magis ut probem, quod in corruptis Licinii comici verbis, quae leguntur ap. Gell. XIII, 23, 16, idem scripsit Ribbeckius:

„cum quidem Mavorti es in conubium data".

Vbi codices etiam habent „Marti". Apparet mancum esse versum medium. Ab Licinio haec fere venisse existimo:

quandóquidem Marti tú's in conubiúm data.

Nam secunda in „conubio" anceps. Cf. d. r. m. pg. 258 sq. Quae cum ita sint, non magis duco recipiendum, quod Studemundius, vir de Plauto praeclarum in modum meritus, Mil. glor. v. 1414 coniecit reponendum: „iuro per Iovem et Mavortem".

XXVII. Eurysaces.

Fuit Sophoclis Eurysaces, quam exemplo fuisse Accio probabile est fabulam; nec enim alia eiusdem tituli graeca memoratur. Nec vero mirum Eurysacis res, qui, ut Aiax pater, Atticorum et antiqua veneratione erat cultus et stemmatis insertus illustrium gentium, materiam praebuisse Atheniensi poetae carminis.

Igitur Telamonis eiecti a civibus, cum post interfectum A

et Teucro filio et nepote careret Eurysace, tractari casus hoc carmine multa demonstrant. Sed Eurysacis fuisse perinde partes ipse indicat titulus. Nec minores fuere Teucri.

Videtur autem hac potissimum in tragoedia tristitia ac squalore habitus, quae sequi solent fortunam inversam, usus Accius ad movendos spectatorum affectus; cum alias talia curiosius Pacuvii fabulis soleant proponi

Ad miserias Telamonis, exilio, senio, egestate pressi, ut alia pertinebant, ita illa, quae ad Eurysacem bene relata a Ribbeckio (Cic. Tusc. III, 18, 39):

hicine est ille Telamo, modo quem gloria ad caelum extulit,
quem aspectabant, cuius ob os Grai ora obvertebant sua?

Etenim fractis opibus

. . . . simul animus cum re concidit.

Initio autem fabulae proponitur Telamo extra patriam agens, ut Ribbeckio videtur, Aeginae, quae haud procul erat insula, unde Aeacus, pater eius, ortus.

Ac primum quidem narrat sibi ab eo, cuius opera erat expulsus, longinquum a Salamine exilii locum assignatum:

ilico, inquam, habitato; nusquam propius!

Vbi „ilico" est „in eo loco"; cf Non. 325, 6 sqq. Se tamen non diu ibi moratum fugae incerta praetulisse:

nunc per terras vagus, extorris, regno exturbatus, mari.

Quae non bene nonnulli velut anapaestica divisa ita:

nunc per terras vagus, extorris,
regno exturbatu', mari..

praemisere versibus infra apponendis. Porro principium calamitatum, quibus conflictatus est, ita refert Telamo:

heu me miserum, cum haec recordor, cum illos reminiscor dies.

Accedebat exilii cumulus recordatio Teucri filii cum iniquitate expulsi et orbitatis non immeritae:

ei mihi, ut etiam haec aerumna mihi luctum addit luctibus.

Intercessit persona ignota, quae consolaretur ita:

quid miserans tuam solitatem memoras, formidans tibi?

Denique addit Telamo se ad occultandas miserias in extremas oras abiturum:

super Oceani stagna alta patris
terrarum anfracta revisam.

Interim ignari Telamonis rerum eodem loci pervenerunt Teucer cum sociorum manu et receptus Eurysaces, quem quidem non, ut Pacuvius fecit in Teucro, tempestate, qua oppressi sunt post Troiam incensam Graeci, abreptum ab avunculo, sed pariter cum hoc, ut ex serva natum, repudiatum finxisse videtur Accius. Cf. comm. in Non. 356, 19. Et confidebat quidem ille posse iam sibi reconciliari parentem, cum certissimis testimoniis liceret probare non sua culpa perisse Aiacem:

numquam erit tam inmanis, cum non mea opera extinctum sciet,
quin fragescat.

Eurysacis puto verba haec (Non. 356 l. opinio, suspicio):

opinione factumst, quanto illi minus
stirpem edocebant, tanto ut reremur magis
eos esse.

Vbi ultima manca Nonii culpa. Supplendum ut puta: „non parentes". Nam videtur Accius ita rem proposuisse, quasi repudiatus a patre Teucer Eurysacem, aetatis tenerrimae puerum, ne exilii, quod initurus erat ille, pateretur casus, tradidisset educandum aliis, qui eum filii loco haberent; sed adulto Eurysaci sensim obortam suspicionem hos non esse parentes. Ac pluralis primae personae pro singulari positus, etiamsi inde a Cicerone demum communi usu increbuit, tamen iam invenitur apud scenicos antiquissimos. Exemplis vix opus; sed cf. Non. 76, 15 cum comm.

Iam Aeginam vel certe propinquum Salamini locum dum perambulant Teucer et Eurysaces, advertit in se oculos partim miseriarum indignitate, partim habitus dignitate oblatus Telamo:

pro di inmortales! speciem humanam invisita,
tam egregiam, indignam scabie et squalitudine.

Sequebantur inter alia haec:

atque, ut vides, non tenui natus de loco.

Causa, cur vel in tantis malis pristinae fortunae indicia non abdicet Telamo, redditur ita:

nam ea demum oblectat spes erumnosum hospitem,
cum illud, quod miser est, clam esse censet alterum.

Iam de origine et casibus suis interpellatur idem:

tu abs te quod quaero enoda et qui sis explica.

Ad miseriarum descriptionem pertinuere haec:

persuasit meror, anxitudo, egror, dolor.

Ad eorum, a quibus expulsus erat, adventum, de quo postea dicam, nescio an spectet versus:

disertim id unum incommodis defit meis.

Et in hoc diverbio potuere esse verba suspicantis de patre vel avo ac suspirantis Teucri sive Eurysacis haec:

te conmiserabam magi' quam miserebar mei.

Quamquam incertum admodum, an ex alia Accii tragoedia petita sint. Cf. comm. in Non. 445, 9.

Agnitio autem facta inter Telamonem et prolem his indicatur Teucri, ut puto, verbis (cf. Ribb. pg. 421):

apud ipsum adstas.

Secutae sunt Teucri vel Eurysacis sive comitum eius voces, admirantium indignantiumque propter tam foedam Telamonis, regis quondam potentissimi et misso utroque ad Troiam filio de Graecis omnibus optime meriti, rerum mutationem. Hic igitur locum habuere illa:

hicine est ille Telamo, modo quem gloria ad caelum extulit;

et quae sequuntur. Nec minus hic videntur reponenda, quae, cum rumor de revocando se increbuisset, in scena ad suam causam translata ab Aesopo tragoedo refert Cic. pro Sest. 56 sqq., ex Eurysace Acciana petita testatur scholiasta Bobiensis (apud quem legendum „Accii fabulam, quae inscribitur Eurysaces“). Cf. Ribb. frgm. XIII. Qua in re quin adaptarit quaedam ad praesentem rerum statum Aesopus vel illa testantur, quae non sine consilio a Cicerone manca tradita sic:

re dubia
haut dubitarit vitam offerre nec capiti pepercerit.

Quae quidem magis ad Ciceronem consulatus tempore pro republica periclitatum quam ad Telamonem spectare apparet, nisi forte Herculis expeditionem Troianam, cui Telamo interfuit, respici statueris. Nam ab eodem Aesopo tum et versus interpolatus „summum ami-

cum, summum in bello, summo ingenio praeditum" et canticum ex Andromacha Ennii additum. Contra exclamatio posita a Cicerone media inter Enniana et Acciana, quae mox continuantur, „pro di inmortales" Ciceronis potius est quam Accii.

In fine autem huius scenae Teucer se vel precibus vel vi effecturum, ut Telamo secum Salaminem redeat, Eurysaci declarat versibus, qui sunt ap. Non. 259, 23.

Interim Salaminii audito in propinquis locis demorari Telamonem eumque ad regnum repetendum venisse rati appellunt classem ad litus, ac deinde de Teucri et Eurysacis adventu edocti consilia exulis praevenire conantur. Nam huc pertinet illud:

quem ad modum inpetum occupemus facere ultro in regem..

Praecessit ut puta „nunc id curare addecet". Itaque occupato castello quodam bellum minitati sunt. Quod Teucer re inopinata perterritus videtur primum declinasse. Itaque sic eum instigandum existimavit Eurysaces, ferox adulescens:

tot tropaea transdes, summam gloriam evorti sines
tam desubito?

Deinde cum ad vim descenderetur, his videtur Teucer Telamonem, qui cum praesidio esset relictus, firmasse:

nil est. si autem ad te res tardat, socium in portu est copia,
quae subsistat. modo tute ipse tete offirma et conpara.

Vbi „tardat" idem quod „non satis procedit", „conpara" idem quod „appara". Pro „in portu" perbene Bothius „in promptu".

Igitur conserta pugna victi Salaminii castellumque eorum expugnatum. Duci autem hostium nomen videtur fuisse Iphidamanti vel Amphidamanti. Non. 230, 24:

diffidens posse sese Iphidamantem neci
dare turbat vulgum, evitat, moeros disicit.

Subiectum vel Eurysaces vel Teucer. Sane priora quattuor verba ingenio constituta nostro. Nam in codicibus nihil est nisi „diffidamantem". Sed non ita male suppletum a nobis locum mancum videtur demonstrare versus hic:

sed memet calvor. vos istum, ut iussi, ocius
abstrahite.

Quae admodum probabile dicta de Iphidamante capto et ad Teucrum dducto. Illud „calvor" positum pro „moror" vel „frustror".

Denique id quod est:

parumper reprime vim citatum quadrupedum

utrum ad poenam eandem, qua a Tullo Mettum Fufetium affectum tradunt (ea potuit excruciari Iphidamas), pertineat an his verbis compelletur Sol, ut currum diutius patiatur in caelo versari, dubitat Ribbeckius. Cf. pg. 425.

XXVIII. Hecuba.

Extat Euripidis Ἑκάβη; quam Ennius imitatus est. Ex Acciana unus servatus versiculus, ex quo nihil quidquam potest concludi.

XXIX. Hellenes.

Hellenibus Ribb. pg. 428 — 31 Pelei res ab Apollodoro III, 13 1—3; 7 relatas tractari existimat.

XXX. XXXI. Io. Prometheus.

Io cum haud raro Romanorum scenis agitatam appareat ex Hor. Epist. II, 3, 124, iure fecisse videtur Ribbeckius, quod eam pg. 548 distinxit tragoediam ab eiusdem Accii Prometheo. Tria vel quattuor servata sunt fragmenta. Ex quibus unum obscurum. Nam traditum sic:

quibusnam te aibant ortum locis?

Ad Io ne trahatur, quod Ribbeckio visum, qui scribit „exortam", ipsum illud „aibant", quod firmat Priscianus pg. 906, videtur obstare. Iam cum plane sit incertum, fabulae saepe a poetis repetitae qualem formam sit secutus Accius, abstinendum erit a coniectando. Ius fabulam epyllio persecutus est Calvus, amicus Catulli. De eadem prolixe Ovidius Metam. I, 583 sqq. Et inter Graecos tragoediam de Io scripserat Chaeremon.

Ceterum conferenda, quae de Minotauro, quae fertur Accii fabula, infra adnotabuntur.

Ad miserias Promethei Caucaso monti affixi spectat unicum fragmentum quod restat ex fabula Accii ap. Non. 207 sq. s. l. gelu; Prisc. 685:

tum profusus flamine hiberno gelus.

Cf. Ribbeck. pg. 543 sq. Contra quod idem huic tribuit alterum ap. Non. 17, 8, Ciceronis petitum e loco notissimo (Tusc. II, 10),

ubi ille reddit multa ex Prometheo soluto Aeschyli, demonstratum est commentario Noniano.

Non abhorret a probabilitate respectam subinde Accii fabulam a Varrone in satura, quae inscripta est „Prometheus liber", cum hunc ut alibi, ita etiam in saturis tragicorum latinorum constet fuisse curiosum. Nullus tamen ibi est locus, quem certo possis tribuere carmini Acciano. Neque magis constat, utrum vinctum an solutum persecutus sit Promethea Accius an adeo, quod Ribbeckius propter Varronis saturam, argumento usus tenuissimo, statuit pg. 547, utrumque.

XXXII. Medea (Argonautae).

Medeam etiam Argonautas inscriptam fuisse fabulam testatur Priscianus pg. 1325, sed haud dubie Ciceronis loco quodam (de nat. deor. II, 35), quo utitur, deceptus (nam et versum unum ex his, quae ab utroque citantur, Medeae adscriptum adfert Non. pg. 90 s. l. conciere). Atque ab ipso alibi, pg. 761, eadem dicta Medea.

Et parte quidem fragmentorum descriptum satis eleganter, quam graviter sint commoti admiratione simul et metu in ora Ponti prope Istri ostia pastores, ex quibus unus facit verba, visa primum navigii maritimi mole, quam pro portento cum habuissent greges deserere coeperunt.

Primo autem loco videntur fuisse, quae finem, nisi fallor, fecere eorum, quibus metus pastorum ingens describeretur:

vagant. pavore pecuda in tumulis deserunt.
quis vos pascet postea?

Vbi si trochaica illa „quis vos pascet postea"? recte habent, haec clausula fuit, sicut alibi orationis exodium ab Accio redditum dimetro iambico „an haec iam obliti sunt Phryges"? Sed nescio an scribendum sit „at quis vos pascet postea"? Iam causa timoris additur his „tanta moles labitur" e. q. s. Praecessere ut puta:

nec mirum, quod portenti diffugiunt metu
numquam ante visi.

Sed sensim intellegitur pastori ab animantibus teneri portentum illud:

ut concitati atque alacres rostris perfremunt
delphini, item illa moles Silvani melo
consimilem ad auris cantum et auditum refert.

Vbi illud „et auditum" mendosum.

Nec vero haec evenere, cum peterent Colchida Argonautae, sed cum redirent in patriam, insequentibus prementibusque Colchis ad Medeam pariter et vellus aureum recuperandum. Cf. Ribb. pg. 528 sq.

Igitur egressi in litus Graeci ad reficiendas vires quinam sint docent accurrentes Scythas; deinde Argus navis originem demonstrant.

Et videntur extulisse, ut saepius in tragoediis factum, Graecorum culta et aliena a barbaris ingenia, apud quos olim Ceres agri instituisset cultum:

prima ex inmani victu ad mansuetum applicans.

Porro ad navigii construendi repertam artem respicitur hisce (cf. Ribb. 532 sq.):

ut tristis turbinum
toleraret hiemes, mare cum horreret fluctibus.

Ac primum quidem advecti cum honore excipiuntur a Scythis. Nam regis eorum senis ad Medeam haec fuere:

tun, dic, Meda's, cuius aditum expectans pervixi usque adhuc?

Cf. comm. in Non. 238, 1.

Interim unus ex Argonautis in abietem sublatus prospicit appropinquantes hostes:

ego me extollo in abietem, alte ex tuto prospectum aucupo.

Advecti Colchi adiere Scytharum regem in partes tracturi Ac narrato scelere Medeae ipsum etiam ut fatalem perniciosumque suspectavere Iasonem. At Scythae, gens religiosissima, etiam portentis divinitus missis videntur concitati esse in hunc; ad quem dicta probabile est illa:

principio extispicum ex prodigiis congruens ars te arguit.

Vbi constructio haec: ars congruens (i. e. consentiens criminibus Colchorum) extispicum ex prodigiis te arguit.—Igitur in partes tractis Scythis ita in artum rerum statum Colchi redigunt Argonautas, ut haec fecerit verba Iason:

perissem in stabulis frenos inmmittens feris!

Vbi feri non sunt, ut Nonius putat, equi, sed tauri. Cf. Ovid. Metam. VII, 115 sqq. Freni hic dicti liberius; ut Ovidius (Metam. X, 125; Trist. III, 8, 3): frenabas ora (cervi) capistris; Medeae vel-

lem frenare dracones.—Itaque cum Graeci pactum inissent cum Colchis hoc, ut servato vellere redderent Medeam, si id Scythis accolis placuisset, haec obtestationibus execrationibusque gravissimis aggressa est Iasonem. Nam ad imprecationes eius videntur pertinere haec (cf. Ribb. p. 533):

exul inter hostis, expes, expers, desertus, vagus.

Purgantis se Iasonis et uxoris animos lenientis haec puto fuisse:

qui potis est refelli quisquam, ubi nullust causandi locus?

Denique cum duplex esset fama de fuga Medeae, altera, qua dissectis ac dispersis Apsyrti (sive Axyrti) fratris artubus dicebatur remorata esse instantes Colchos, altera, qua eundem (sive alio fuit nomine) ducem Colchorum insecutorum insidiis captum opera Iasonis interfecisse, Accius, fortasse Sophoclis secutus Scythas, utramque coniunxit fabulam. Certe Aeetae, qui videtur suos comitatus esse, sed ut senio coactus filio mandaret imperii summam, haec fuere (cf. Ribb. pg. 534):

pernici orbificor liberorum leto et tabificabili.

Quae vix aliter nisi de minore ac maiore fratre Medeae, brevi intervallo interemptis, possunt explicari.

Verba Medeae fratrem maiorem dolo aggressurae fuere haec:

nisi ut astu ingenium lingua ludam et dictis lactem lenibus.

Namque ita inter Iasonem et Medeam convenit, ut haec ducem Colchorum spe recuperandi ipsam cum vellere illaqueatum in locum secretum alliceret, ille obtruncaret incautum, quo Colchi orbati rectore discederent.

Denique ad Aeetae sortem primum Medea, tum, cum hanc recuperaturus iam videretur, prius minore, dein maiore ex filiis spoliati orbamque inituri senectam videntur pertinuisse anapaestica haec:

fors dominatur
neque vis ulli propria in vitast.

XXXIII Melanippus.

Melanippi (pro quo saepe in codicibus scriptum „Menalippus") quod fuerit argumentum, non mihi magis expedire licuit quam Ribbeckio.

Et Oenei quidem res tractatas fabula illa demonstrat versus:

Oeneum aliquis cette in conspectum, aut nos ubi ubist ducite
ad eum!

Porro Melanippus in Periboea inter filios Agrii memoratur ut ad opprimendum Diomedem vel maxime necessarius (cf. disput. de Pac. pg. 42). Praeterea alter fuit Melanippus, Oenei filius, quem a Tydeo fratre, sed invito, interfectum in venando tradit Hyginus fab. 69.

Sed quaenam aut cuius Melanippi apud Accium fuerint partes, testimoniorum penuria obscurum.

Quodsi coniectando dabitur locus, fabulam de Oeneo eiusque domo a recentiore quodam tragico ita inversam existimem, ut proponeretur (quae Ribbeckii est opinio) Melanippus filius illius a Tydeo fratre interfectus non casu, sed consilio. Et patris quidem vel domesticorum monitu id dicas factum, quod Oenei vitae falso insidiari diceretur Melanippus. Notum autem, quantae fuerint partes calumniarum suspicionumque falsarum in fabulis.

Sed antequam ad fratris caedem incitarent Tydea, videntur amicum quendam Melanippi ad facinus stimulasse; quod ille deprecatus est ita:

crediti' me amici morte inbuturum manus?

Atque huius, dum promittit Melanippo socium se fore utcumque periculorum, haec fuere, ut puto:

paratus sum, ubi vis, petere partem permiti.

Vbi „permiti" a „permitium" dictum pro „perniciei". Cf. comm. in Non. 219, 2.

Sed verbis quae sunt „tete esse huic noxae obnoxium" utrum Melanippus tangatur, quod regnum affectaret patris, an amicus, quod parcendo huic probare videretur eius consilia, an denique post patratam caedem Tydeus definiri nequit.

Inepta dicta factaque unius ex personis perstringuntur ita (cf. Fest. pg. 274):

neque ratumst quod dicis („dicas" cd.) neque quae iactas („agitas" cd.) dicendist locus;

et porro:

reicis abs te religionem scrupeam, impunest tibi.

Hic a Varrone de l. lat. VII, 65 servatus est versus; ubi cdd. habent „imponas" omisso „tibi", quod addidit O. Muellerus. Quae praecedunt ita videntur scribenda: „Valerius (scrupipedam dictam pu-

tat) a pede ac scrupea. exeo Acci positum: scrupea (om. cd.), curiosa; itaque est in Melanippa". Illud autem „reicis" condicionaliter dictum existimo. „Religio" hic ut saepe apud Romanos antiquiores in malam positum partem, pro opinione superstitiosa vel praeiudicio inepto. „Scrupea" idem quod „anxia".

Melanippi de infesto suorum animo moniti potuere esse haec:

egone auxilio nudus temere ut hosti me animato offeram?

Insidias in silvis structas Melanippo, quem et Hyginus in venando a fratre refert interfectum, declarat versus:

hic Melanippum inter traiectus nemorum, in salti faucibus.

Eodem pertinent haec:

constitit, cognovit, sensit, conlocat sese in locum
celsum; hinc manibus rapere raudus saxeum grande et grave.

Tamen de quo haec dicta sint incertum. Nam nullo pacto adducor ut credam Tydea, virum animi maximi et spiritus, astu potius quam vi petisse Melanippum. Ac de utriusque congressu aperte haec dicta:

obviam ensi it; quem adversum aptus alter in promptu occupat.

Denique caede perpetrata patefactam Melanippi innocentiam ideoque Tydea solum patrium vertere coactum probabile facit illud:

regina, escit tempus, quom hice torrus, quem amburi vides.

Nam hoc praesagio fatorum Oenea, cum filiis, quos post Althaeae mortem ex Periboea sustulerat, orbatus calamitates domus suae inde a Meleagri morte recordaretur, sub finem fabulae usum vix potest dubitari. In exitu querelarum potuit esse versus:

unde haec? quis mortalis florem liberum invidit meum?

XXXIV. Meleager.

De Meleagro, in qua fabula conscribenda Euripidis potissimum tragoediam cognominem observatam Accio veri admodum est simile, id quod primus intellexit Delrio, quae dicam habeo perpauca. Nam fragmenta minus viginti maximam partem sunt talia, ut facile possint accommodari ad fabulam, qualem Euripidem, puto, potissimum imitatus Ovidius in Metamorphoseon proponit libris.

Vnius ex illis, qui una cum Meleagro aprum deicere erant conati, quod spolia pariter relata et coronam acceptam tribuisset Atalantae indignantis haec fuere verba:

cuius exuvias et coronam huic muneravit virgini.

Excusavit apud eosdem ita rem Meleager:

remanet gloria apud me; exuvias dignavi Atalantae dare.

Cf. Ovid. Metam. VIII, 431.—Nihilo minus spolia eripiuntur Atalantae ab Althaeae, Meleagri matris, fratribus; qui ideo ab hoc interficiuntur. Tum edocta de scelere filii et prona ad ultionem Althaea quam celerrime iubet apportari torrem, quo combusto pereundum esset Meleagro. Atque huc pertinent haec:

cave lassitudo poplitum tuum cursum levet;

et porro:

laborem ut minuat itiner ingresso viae.

Porro fugit Ribbeckium iungenda inter se haec, quae feruntur ap. Non. 483, 11; 124, 36:

nunc si me matrem mansuem misericordia
capsit —
quis erit, qui non me spernens, incilans probris,
sermone indecorans turpi fama differet?

Nam accepto torre diu deliberasse matrem fratrumne mortem an filii salutem magis respiceret, ut Ovidius scribit, ita Accium rettulisse omnes habet probabilitatis numeros. Nihil tamen invenitur, quo paenitentia eius sera eademque irrita adseratur. Denique conferendus comm. in Non. 317, 19; 20; 308, 8.

XXXV. Minotaurus.

Minotaurum dubito an ab Accio scriptum esse negem. Nam qui restat versus unicus, ita fere citatur in Prisciani libris pg. 677: „Accius in Ioe“; ubi unus tantum ex noviciis libris et interpolatis habet „in Minoe“. Illud autem „Ioe“ potius accipiendum pro „Io“ vel „Ione“, cum idem error inveniatur ap. Prisc. pg. 685; 906; ubi eadem citatur fabula. Porro apud Macrobium Saturn. VI, 5, 14 leguntur haec: „idem in Minotauro: taurigeno“ e. q. s. Vbi cum omissum sit „ex“ in principio versus Acciani, suspicio oritur illud „tauro“ natum ex sequente „taurigeno“, „m“ ex praecedente „in“ scribendumque „idem in Ione“ („idem in Io taura“ vel „in Ione taura“ male Bothius). Quod autem apud Ribbeckium adeo fabula inscripta „Minos sive Minotaurus“, illius tituli plane nulla constat auctoritas. Ceterum fatali quo-

dam accidit ludibrio, ut qui servatus est versus unicus perinde ad Io atque ad Minotaurum possit referri. Nam apud Priscianum legitur ita: ex taurigeno semine ortam fuisse an humano eam („eam" om. cd. Reg. m. 1; „eam an humano" habet cd. Gruteri); apud Macrob. „taurigeno semine ortum („fuisse" om. libri meliores) an humano". Verbum „fuisse" a Prisciano ex deterioris aetatis usu videtur interpolatum. Ab Accio haec fere puto venisse:

ex taurigeno semine ortam dicam esse anne humano eam?

Et potuit praecedere velut hoc „animi ego incertus feror". Haec igitur dicta de Io, quae, cum rursus esset facta homo, cornua tamen retinuerat vaccae. Quodsi magis Minotauri probabitur titulus, ad Minotaurum haec spectare apparet scribendumque „ex t. s. ortum dicam esse anne humano eum?". Et magnam quidem Macrobii in citandis poetis antiquissimis iam in Ennii editione notavi neglegentiam; et apparet facilius per interpolationem potuisse poni „ortum" quam „ortam"; quamquam ne Priscianum quidem levitatis crimine carere constat. Tamen omnibus perpensis, quae de testimoniis grammatici utriusque et de codicum dittographiis supra sunt scripta, non possum quin secutus Bothium nullum umquam Accii fuisse existimem Minotaurum. De cuius (si modo extitit) argumento—similis fuit Theseus Euripidis—copiosissime, ut solet, expositum a Ribbeckio pg. 564 sqq.

XXXVI. Neoptolemus.

Pro eo quod est „Neoptolemus" aliquando, non tamen nimis saepe, „Neoptolomus" scriptum in bonis libris. Cf. Fleckeiseni Annal. philolog. a. 1867 pg. 751.

Argumentum huius fabulae fuisse post Achillem caesum Scyro insula ad Troiam arcessitum Vlixis opera Neoptolemum (vel Pyrrum) Achillis et Deidamiae filium, sine quo Troia non poterat expugnari, perspexere Welckerus et Ribbeckius. Huius, a quo pleraque probabiliter disputata, libri conferendae pg. 402—406.

Atque ipse Vlixes iam apud Homerum, Od. XI, 506 sqq., a se Neoptolemum adductum memorat ad Graecos. In quo negotio alii Diomedem, alii Phoenicem tradidere fuisse comitem. In fragmentis carminis Acciani Vlixis tantum invenitur memoria.

Ac facile intellegitur tragoediae concinnandae materiam praebuisse aptissimam Lycomedis avi et Deidamiae matris studium Neoptolemum, Achillis unicam stirpem, bellorum arcendi discriminibus eorundemque

accensa in Vlixem odia, cuius dolo olim ipse Achilles ad bellum, in quo erat periturus, illectus esset. Sed Vlixes, qua erat calliditate, optinuit tamen quod petebat, orationis arte subnixus.

Fragmentorum pars fere tertia versatur in virtutibus vitiisque Neoptolemi, qualis a poetis latinis describi solet, referendis. Eius propria fuisse dicuntur:

vis, vertus (i. e. virtus) atque acritas.

Adeoque in laudem eius ab Vlixe dicta haec:

quid si ex Graecia
omni illius par nemo reperiri potest?

Contra exprobrant, quod:

haut quisquam potis est tolerare acritudinem;

item:

vim, ferociam animi, atrocitatem, iram, acrimoniam.

Pudore se teneri Graecorum, quod ab armis abesset, Neoptolemus sic declaravit:

dolet pudetque Graium me et vero piget.

At Vlixem prius Lycomedem et Deidamiam aggressum crediderim, quippe quibus victis facile Neoptolemum, bella ineundi patrisque ulciscendi cupidissimum, in partes sese trahere posse speraret. Deidamiae igitur orbitatem recusanti post Achillem ademptum et ob id filium dimittere nolenti alterius coniugii spem videtur movisse. Quod illa abnuit his verbis usa:

sed quem mihi iungent? cui, quae cum illo fuerim, dignabor dari?

Vbi non est, cur „dignabor" cum Ribbeckio statuas active dictum, cum Non. pg. 281 s. l. dignatus contendat passive adhibitum. Quaerit Deidamia, quo coniuge possit esse digna (id est cui conveniens; cf. Ovid. Trist. II, 161 sq.), quae heroi omnium clarissimo fuerit nupta. Verba sunt Vlixis (cf. Ribb. pg. 405) ad constanter recusantem:

sati' iam dictum neque ego errantiae animi prave morigerabor.

De eodem Deidamia finito colloquio haec (Non. 469, 19; 258, 6):

ubi nil contra rationem atque aequom habuit, adsensit silens.
satin astu et fallendo callet?

At Neoptolemus, licet patris exemplo ad bellum ferretur animo, tamen et ipse in Vlixem videtur fuisse infestior suspiciosiorque, quod artes eius et dolos aversaretur. Itaque puto Vlixem ad movendum eum protulisse arma Achillis, quae virtutis causa a Graecis sibi diceret tributa, sed iam concessurum honoris causa Achillis filio. Nam satis recte existimo restituta a nobis, quae corrupta leguntur apud Nonium 341, 37, per diverbium ita:

„tune, Vlixe?"—„macte his armis, macte virtutei patris."

Atque tali dono victum Neoptolemum consensisse ad profectionem conicio matremque et avum permovisse, ne consiliis suis adversarentur. Nihil igitur est, cur oblata demum Achillis patris imagine, quam ei apparuisse refert Ilias minor, adductum existimes ad morem gerendum Graecis.

XXXVII. Nyctegresia.

Νυκτεγερσία vel Δολώνεια a grammaticis inscriptus decimus liber Iliadis, quem olim alienum fuisse a relicuo carmine et postea insertum erat fama.

Romani cum antiquitus et Homericorum carminum et Troianarum rerum studio tenerentur maximo, assimulatum ori latino vocabulum nuctegresiam vel nuctegressiam extulere, quo ad egrediendi verbum posset referri. Isdem fortasse pro u reposita o, ut lagona dicta pro λάγυνος, ut Pseudolus pro Ψευδύλος. Huc pertinet quod memorat Paulus pg. 78 M. nyctegresiam quasi noctisurgium. Et Accii fabula a grammaticis, quibus usus est Nonius, Nyctegresia vel Nyctegressia (nam variant codices) inscripta.

Cuius argumentum idem fere fuit, quod Rhesi tragoediae, quae fertur inter Euripideas. Nyctegersian quis composuerit inter Graecos incertum.

Fragmentorum rationes ut plurimum satis faciles et expeditae Igitur arcessitos duces adloquitur ita Agamemnon:

cuius vos tumulti causa accierim et quid parem animum advortite.

Nam in summo versari periculo res Graecorum:

.. iam scandet aura laterum texta Volcani vorax.

Cf. Il. X, 42 sqq.—Percunctante Nestore vel Agamemnone, siquis se

ducum esset oblaturus ad consilia exploranda Troianorum, primus studio accensus Diomedes haec dixit secum:

iuben nunc attemptare, iuben nunc, anime, ruspari Phrygas?

Deinde patefacta voluntate Vlixem elegit socium:

an ego Vlixem obliscar (i. e. obliviscar) umquam aut quemquam praeponi velim?

Cf. Il. X, 243.

Pro his ab Agamemnone meritis mactatur laudibus:

id quod facis gratum et gravest.

Igitur profectis e castris Diomedi et Vlixi occurrit Dolon a Troianis speculandi causa missus. Incaute inconsulteque incedenti ut insidiae parentur ita monet Vlixes:

clam, sis, adito! cludito! fervit ferox.

Cf. Non. 503, 2; ubi mirifice corrupta ferebatur lectio ante editionem nostram.—Captus ille cum sola vitae servandae cura teneretur, quaecumque sciscitarentur hostes, patefacturum se promisit ita:

cuncta expedibo: id modo ius iurandum date.

Progressis deinde ad castra hostium Diomede et Vlixe, cum hic in rem artam incidisset. ille videtur ad auxilium ferendum coortus cum his verbis:

aut ego illum eripiam aut illi poena sufferar.

Sententia haec: aut uterque servabimur auxilio meo aut ego poenam incepti nostri subibo loco Vlixis. Nam illud „poena (ablativ.) suffeiar" idem quod „poena supponar" (i. e. „substituar") esse docet Nonius. Contra si his verbis usus est Diomedes, cum Vlixem sibi socium elegisset videntur partem effecisse tetrametri trochaici catalectici.

Deinde caede Threcum facta multa ita Vlixes adlocutus est Diomedem:

tun quod superest socium mittis leto an lucti paenitet?

Vbi socii significantur Troianorum, nisi potius scribendum „Threcum". Sed aut Minerva utrique auctor fuit absistendi a re, ne Troiani certiores fierent de invasione nocturna, aut oriens lux absterruit. Nam non abhorret a probabilitate Vaterum recte ad Nyctegresiam rettulisse anapaestica haec, quae citat Varro sub Accii nomine de l. lat. VII, 83 „iamque Auroram rutilare procul cerno". Igitur reversi sunt in castra, ubi iam Graeci metuebant, ne temeritate nimia essent capti.

Cf. Il. X, 558 sq.—Excusantis eos fortasse Agamemnonis ad Thersiten (cf. Ribb. pg. 367) fuere haec:

illos suapte induxit virtus; tu laudem illorum levas?

XXXVIII. Oenomaus.

De Oenomao cum plurima protulerit Ribbeckius, quae ad graecos potius quam latinos huius fabulae auctores spectent (et Sophoclis et Euripidis Oenomaus fuit tragoedia), nobis brevibus admodum licet esse, quippe qui eas solum exemplorum graecorum respiciamus partes, quae latinorum carminum reliquiis adhibitis vel illustrari videantur posse vel suppleri.

Igitur argumentum fuit fabulae Accianae saepe repetitus a poetis dolus, quo potitus est Pelops Hippodamiae nuptiis. Cf. Hygin. fab. 84. Nam Oenomaus rex Pisarum cum oraculo esset monitus a genero mortem instare, Hippodamiam filiam noluit in matrimonium dare nisi ei, qui curruum certamine, cuius nemo erat ipso peritior, se superasset, ita quidem ut victus plecteretur capite. Forma Hippodamiae allecti cum multi frustra proci discrimen subissent, tandem Pelops ex Phrygia advectus perfidia Myrtili, qui auriga erat regis, effecit ut vinceretur Oenomaus. Quam rem secutus est vitae finis eius. Verum haec fabula multum variata.

Quae restant fragmenta carminis Acciani, cum alia quo pertineant sit obscurum, relicua ita fere disponenda.

Pulchritudo Hippodamiae, cuius correpti cupidine multi proceres se ad exitium obtulerant, describitur versu trochaico, cuius tamen corruptum initium:

horrida honestitudo Europae principum primo ex loco.

Et videtur in hunc modum supplendus:

plurimos adduxit Pisas, ubi pro coniugio sibi
exitium invenere.

Tandem post iter longissimum, quod nec ipsum caruit commentis poetarum, etiam Pelops venit Pisas. Vbi regem quaerenti sic respondet Oenomaus:

praesto, em, iam adsum. expromito.
quid fers? nam te e longo itere cerno vadere.

Non enim per diverbium haec iam existimo efferenda, sicut in editione Nonii 485, 6 factum.

Tum aperuit consilium Pelops:

coniugium Pisis petere, ad te itiner tendere.

Eiusdem ad leniendas Oenomai suspiciones fuere haec (cf. Ribb. pg. 436):

ego ut essem affinis tibi, non ut te extinguerem,
tuam petii gnatam. numero te expugnat timor.

Vbi „numero" „cito" est vel „nimis cito". Ignorabat scilicet Pelops oraculo metum iniectum Oenomao.

In descriptione itineris longissimi et periculosissimi potuere locum habere quae secuntur:

saxum id facit angustitatem et sub eo saxo exuberans
scatebra fluviae radit rupem;

item alio loco (nam trimeter videtur esse iambicus):

quemcumque institeram grummum aut praecisum iugum.

Quae allegorice dicta conicit sine probabilitate ulla Ribbeckius.

Verba Oenomai ad Pelopem cum Bothio Ribbeckius putat fuisse ea quae sunt:

atque hanc postremei solis usuram cape.

Non minore iure possis credere haec a Myrtilo de Oenomao dicta post paratam fraudem, qua periturus erat dominus.

Denique quae leguntur ap. Non. 357, 13 (cf. 206, 1) recte ad rem sacram, ante certamen instituendam, a Bothio relata existimo.

XXXIX. Pelopidae.

Pelopidae tragoedia fuit Lycophronis, ex qua tamen nihil servatum praeter unum locum communem. Eadem fere, quae Hygini fabula 88 continentur, ab Accio tractata suspicatur Ribbeckius pg. 458. Et versus qui sunt:

nam me ut credam ex tuo esse conceptum satu
tot argumenta redigunt animum et conmovent

ad Thyesten ab Aegistho datos recte videtur statuere Ribbeckius. Cf. et Bothii commentum in h. l.—Idem bene illa:

cesso hinc ire et capere lucti vestem in leto coniugis?

ab Atreo (errore calami factum puto, quod Agamemnonem posuit) de Pelopia dicta conicit.

Quodsi rectum vidit Ribbeckius, argumentum implicatum magno opere et intricatum, quod refert Hyginus, ab Euripidis aliquo sectatore tractatum veri est simile admodum.

XL. Philocteta.

Quod Varronis d. l. lat. VII, 11 legitur „apud Accium in Philocteta Lemnio", cum numquam alibi sic vocetur haec fabula neque de altero Accii constet Philocteta, illud „Lemnio" ortum existimo ex eo quod mox sequitur „Lemnia praesto litora".

Philocteta in Lemno insula exilium agens, donec per legatos Graecorum ad Troiam deduceretur, materiam praebuit tribus tragoediae graecae principibus. Quorum carmina comparavit inter se Dio Chrysost. orat. LII. Id. or. LIX Euripidem secutus paraphrasin praebuit sermonis inter Philoctetam et Vlixem, quem ignoraret ille, primum conserti. Porro extat Philocteta Sophoclis. Et aliis tragicis Graecorum materiam praebuere scribendi Philoctetae casus idem. Cf. Nauck. in Indice trag. graec. frgm. s. l. Φιλοκτήτης. Fuit etiam Φιλοκτήτης ἐν Τροίᾳ Sophoclis; eiusdemque argumenti carmen Achaei. Ceterum non tragici solum graeci, etiam comici usi sunt Philoctetae rebus, cuius de egestate et miseria, qua adeo eum ad muliebria patienda adactum erat fama, ridicula commenti sunt.

Porro nec Aeschylum nec Sophoclem secutum videri Accium intellexere docti. At ne de Euripide quidem, quem primus huic fuisse exemplo suspicatus est Ios. Scaliger, satis certo constat. Nam quod Ribbeckius p. 377 statuit Hyginum, quem Euripide usum videmus fab. 102, etiam Accii tragoediam respexisse, nullo potest pacto probari.

Iam etsi quaedam in huius carmine bene possunt referri ad Euripideum, alia tamen discrepare manifestum est; dicendumque vel praeter Euripidem etiam Aeschylo et Sophocle (quorum tamen imitationis signa non comparent) contaminatione facta usum Accium vel potius eundem secutum, ut plerumque, poetam nobis ignotum scholae Euripideae, qui novandi studio ductus variaverit magistri sui carmen notissimum.

Igitur non mirum, quod cum Euripidis fabulae prologum pronuntiarit Vlixes, Accianae in principio laudes Vlixis relatas testatur Appuleius de deo Socratis cap. 24. Versus sunt hi:

inclute, parva prodite patria,
nomine celebri claroque potens,

pectore Achivis gentibu' ductor,
gravi' Dardaniis gentibus ultor.
Laertiade!

Vbi illud „pectore" dictum pro „prudentia" vel „sollertia". Male quidam iunxere cum praecedente „claro".

Iam eos verum vidisse existimo, qui anapaestica a pluribus auctoribus servata, quibus Lemnus insula celebratur, continuata eidem tribuere personae, totumque locum adhibitis priorum commentis ita fere concinnandum et refingendum:

inclute, parva prodite patria,
nomine celebri claroque potens,
pectore Achivis classibu' ductor,
gravi' Dardaniis gentibus ultor,
Laertiade! Lemnia praesto
litora curva; et celsa Cabirum
delubra tues, mysteria quis
pristina cistis contecta sacris
nocturno aditu occulta coluntur
silvestribu' saepibu' densa;
Volcania tum templa sub ipsis
collibus, in quos delatu' locos
dicitur alto ab limine caeli
[venisse, patri deiectu' suo,
deu', qui fornacibu' duritiem
mollit ferri. cuius fabricam et]
nemus expirante vapore vides;
unde igni' cluet mortalibu' clam
divisus; enim doctu' Prometheus
clepsisse dolo poenasque Iovi
furti expendisse supremo.

Totum autem hoc anapaesticum Minervae tribuit G. Hermannus, quae oblata Vlixi modo advecto patefecerit insulae, ad quam appulsus erat, naturam. Cui frustra adversatur Ribbeckius. Nec enim in laudibus, quae Vlixi, cuius illam studiosissimam fuisse omnis testatur antiquitas, tribuuntur, quidquam inest, quod aut mortalis non capiat aut dedeceat deam. Eoque magis compellationi quantum posset fieri honorificentissimae hic erat locus, quod Vlixes sola Minervae opera, quae in somniis ei visa erat, adductus est ut Philocteten, hominem

sibi infestissimum, cum eum Agamemnonis iussu exposuisset Lemni, temptaret. Quod autem Minerva autumat „dici" delatum ad Lemnios Vulcanum, non est cur mirere famae, fortasse falsae, tribui id, quod Iovi patri vel adeo Iunoni matri parum esset decorum; neque illo „cluet" aliud quidquam significatur nisi communi omnium opinione ferri istam ignis adhibiti inter homines originem. His igitur minime demonstratur, quod putat Ribbeckius, mirifica quaedam in dea rerum divinarum ignorantia.

Nullo autem pacto carmen illud a Lemniis potuit efferri, cum praesertim Vlixes ore habituque mutatus insulam intrasset. Omnium vero minime crediderim, quod Ribbeckius statuit, Vlixis laudes illas a comitibus eius cantatas, tum intercepta, quibus de loco eum perscrutarentur, sequentia ab ipso veluti mystagogo ad edocendos socios prolata. Quae opinio ut per se nihil habet prababilitatis, ita refellitur illis „tenes" (nos cum Bergkio „tues"), „vides", pro quibus pluralis poni debuit. Ceterum cum apud Aeschylum et Euripidem Lemni incolarum, apud Sophoclem Graecorum cum Vlixe et Diomede advectorum fuerit chorus, in Accii fabula nullum omnino chori invenitur vestigium.

In verbis cantici ut pauca tangam (iam enim ad finem propero), scripsi „litora curva", ubi vulgo fertur „litora rara", quod parum intellego, porro „contecta" pro „concepta", ubi Bergkius „consepta", quod et ipsum possit placere, quamquam statim subicitur illud „saepibus". Ea quae sunt „nocturno—densa", quamquam non tribuuntur Philoctetae aut Accio, recte tamen hoc loco reposita a doctis. Porro „templa" antiquo modo dicta puto pro „ora" vel „regione". Versus uncis inclusi a me additi.

Diomedes ab Euripide comes additus ac socius Vlixi. At apud Accium non magis in Philocteta quam in Neoptolemo invenitur illius memoria, sive casu id factum, sive ab Accio exclusus est, quod putaret parum loci esse Diomedi, ubi astutia potissimum ac dolo esset agendum.

Deinde a Lemniis edocentur Graeci de Philocteta. In quibus potuere locum habere illa, quibus se Samothracen praeterisse navigando testarentur hi:

mystica ad dextram vada
praetervecti.

Cf. Ribb. pg. 380, qui quidem pessime coniecit verbis istis conti-

neri versum sapphicum. In descriptione Philoctetae miseriis efferati fuere haec:

quem neque tueri contra neque affari queas.

Quae metro carent; nam nullo pacto credibile est in „affari" ab Accio correptam primam. Et afferuntur verba a Macrobio Saturn. VI, 1, 55, cuius quanta sit in scenicis antiquissimis citandis vel neglegentia vel ignorantia notum. Scripsere alii „contra neque fari", alii „neque contra affari queas". Venit ab Accio, nisi fallor, „contra aut adfari queas", priore „neque" posito pro „ne—quidem", ut in eiusdem poetae verbis „qui neque cuiatis esset umquam potuimus multa erogitantes sciscere".

Deinde oblatus Vlixi, quem scilicet ignoraret, Philocteta. In diverbio primum octonarii iambici (cf. Varro de l. l. VII, 11; Fest. pg. 356 l. tesca; Non. 469, 34), fortasse mixtis septenariis trochaicis (cf. Non. 179, 32), deinde senarii adhibiti. In commemorandis calamitatibus etiam hoc refert, quod Lemnos ut subiecta Thraciae (cf. Stat. Theb. V, 53), quam velut Sibiriam quandam propter gelu nimium saepe execrati sunt Graeci et Romani, frigoris minus patientes, omnino ad inhabitandum parum esset apta, ut:

sub axe posita ad stellas septem, unde horrifer
Aquilonis stridor gelidas molitur nives.

Cf. Ovid. Trist. V, 1, 61 sq.

Et memoria aerumnarum post tot annos tam fuit vivida, ut sub finem, puto, querelarum non dubitaret ultimam casuum suorum causam belli Troiani auctorem incusare:

Pari dyspari,
si inpar tibi esses, ego nunc non essem miser.

In exodio miseriarum enarratarum videntur fuisse anapestica illa:

heu, quin salsis fluctibu' mandem
me ex sublimo vertice saxi?
iam iam absumor; conficit animam
vis vulneris, ulceris aestus,

Vbi codices Ciceronis Tuscul. II, 7, 19 (totus conferendus locus) habent fere „heu qui s. fl. mandet", sequente m littera.

Deinde cum Vlixes de rerum graecarum statu edocuisset Philoctetem, partim veris prolatis, partim vanis, audito Achillis arma cessisse Vlixi ita proclamavit Philocteta:

heu (f. heus), Mulciber!
cur tua arma ignavo invicta es fabricatus manu?

Haec, quae apud Macrobium VI, 5, 2 leguntur versu manco, supplevi addito „cur tua"; ubi „tua" pertinet ad „manu", quod verbum vix potest carere epitheto. Pro trimetris autem iambicis etiam potest reponi octonarius.

At apud Euripidem hic fuit ordo, ut primum de se referret Vlixes, dissimulans scilicet quis esset, deinde illectus Philocteta miserias suas panderet. Cf. Ribbeck. 386 sq.

Iam Euripides, qua erat fecunditate venae ad reperienda ea, quae convenirent altercationi rhetorica sophisticaque arte exornandae, praeter Graecorum etiam Troianorum induxerat legatos ad Philocteten, qui amplissimis promissis adeoque regno oblato in partes perducerent eum, sine cuius sagittis Troia expugnari non posset. Atque hoc invento Accium usum demonstrant verba:

.. Phrygiam miti more esse animo immani Graeciam.

Supplendum ut puta „disce" vel „nosce". Fuere illa oratoris Troiani, qui honores et praemia, quibus populares cumulaturi essent Philocteten, compararet cum Graecorum crudelitate, qui inopem reliquissent Lemni.

Iam cum sit obscurum admodum, in Euripidis carmine quibus viis artibusque eum Vlixes cum Diomedo adduxerint ad morem gerendum Graecis, nonnihil adfertur lucis, si recte statuerunt docti (et est res valde probabilis) ex huius Philocteta petitos versus illos:

ὑπέρ γε μέντοι παντὸς Ἑλλήνων στρατοῦ
αἰσχρὸν σιωπᾶν, βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν.

Nam haec verba facientibus apud Philocteten Troianis ab eo, qui adversaretur illis, prolata apparet. Qui quidem non potuit esse Philocteta, ut statuit Ribbeckius. Nam quod Cicero (de or. III 35, 141), ubi notum Aristotelis locum refert, scribit haec: „versumque quendam Philoctetae paulo secus dixit" sive sic legeris, ut supra scriptum, sive ut aliis placet „de Philocteta", non hominem significari apparet, sed carmen. Quod etiam confirmatur Quintiliani verbis (III, 1, 14), a quo respicitur Ciceronis locus. Nam eius sunt haec: „Aristoteles—noto quidem illo, ut traditur, versu ex Philocteta frequenter usus". Igitur aut manca Ciceronis verba et hausta post „Philoctetae" velut haec: „quo Vlixes (vel. „Diomedes") usus est," aut, quod minus placet, in sequenti-

bus „ille enim turpe sibi ait esse tacere, cum barbaros, hic autem cum Isocratem pateretur dicere“ pro ille ponendum „Vlixes“.

Itaque verba illa, quod res ipsa suadet, aut Vlixis fuere aut Diomedis. Iam priorem versum consideranti satis videbitur probabile Vlixem, qui antea figura mutata et ignotus Philoctetae varia molitus esset, ut in partes traheret Philoctetam vel sagittis eius certe poteretur, ideoque et Agamemnonem et se ipsum apud illum probris et calumniis insectatus, Troianis ad totius Graecorum exercitus convicia coortis non temperasse, quin detecto arcano vera de se consiliisque suis profiteretur. Possis etiam Diomedi tribuere illa, quamquam in hoc minus potuit movere spectatores inopinata orationis libertas et simplicitas.

Finem fecit fabulae Euripideae pariter et Accianae ad Graecos deductus Philoctota, qui dum in navem aufertur verbis usus est hisce:

agite ac, vulnus nei (pro „ni“) succusset gressus, caute ingrediminí.

Vbi nominativus est gressus.

Qua in re numquae deo ex machina fuerint partes non satis constat. Cf. Ribb. pg. 394.

Denique conferendum initium eorum, quae de incertarum fabularum reliquiis sunt dicta.

XLI. Phinidae.

Fuere incerti auctoris graeci Φινεῖδαι; de qua tamen omnino non constat fabula. Cf. Ribb. pg. 541.

Iam cum duplex de Phineo Salmydessi in Thracia ad Pontum Euxinum rege vel, ut alii ferebant, Arcadiae (cf. Serv. in Aen. III, 209) fabula ferretur, altera qua eum post Cleopatram, priorem maritam, abdicatam et carcere inclusam, cum Idaeam duxisset, calumniis novercalibus inductum filios ex priore uxore vel excaecasse vel humi defossos usque ad medium corpus verberibus excruciasse, sed ab Argonautis regno deiectum restitutis Cleopatra eiusque filiis et Idaea obtruncata est traditum, altera qua eundem propter scelera supra dicta excaecatum et ab Harpyiis vexatum, sed ab Argonautis tandem liberatum (plura de his congesta a Ribbeckio pg. 536 sqq.), Acciano carmine priorem tractatam apparet e versu a Nonio 84, 28 servato, qui cum ante editionem nostram vitiosissimus ferretur, ex memoria codicis optimi nulla paene mutatione facta ita est restitutus:

quaeve hanc Graio tibi congenerat gentum aut generum adfinitas?

Quae apparet ab uno ex Argonautis dicta, fortasse ab Hercule vel, quod propius abest a fide, a Zete vel Calai, quorum mater erat Orithyia, Erechthei, Atticae regis, filia, pater Boreas, ut Cleopatrae, cum merito esset miraculo, quod Phineus, homo Graecus, duxisset Idaeam ex Phrygum sive. ut alii narrant, Scytharum gente ortam. Nam illud „congenerat" pro „adiungit", „adsociat" dictum testatur Nonius.

Ex his autem apparet Phinea, vel quod Arcadiae regem fuisse referrent quidam vel quod Cadmi, qui Thebas condidit seu frater esset seu fratris filius (nam Agenoris vel filii huius Phoenicis filium perhibebant), dictum Graecum, vel potius, quod antiquissimi incolae Thraciae. multum diversi illi ab insecutis, semper pro popularibus habiti sunt a Graecis, qui adeo cultus proprii initia ad Orphea rettulere Thracem.

Deturbata uxore priore videtur in Phinei regno (id quod saepe post scelera patrata factum fabulae narrant) infecunditas orta eaque causa facta Idaeae stimulandi maritum, ut in Cleopatram eiusque liberos saeviret, quod diceret veneficiis illius calamitatem ortam, si modo recte restitutus est versus, qui legitur ap. Non 20, 26:

sementim (cdd. „sevenis") sterilem esse illius opera et medicina autumans.

Parum certe elegans puto, quod Ribbeckius posuit „se venenis sterilem"; quod quidem perinde ad Idaeam referendum censuit.

Versum, qui est:

at (cdd. „ut") saepe ex humili sede sublima evolat,

minime, ut Ribbeckio placuit (pg. 542), de Harpyiis accipiendum existimo, sed dictum de mente Cleopatrae vel filiorum eius, qui magnitudine animi firmati et innocentia sua freti humanos casus, ut infra se positos, spernerent. Similia saepe de mente vel animo (sive anima) reperiuntur in Ciceronis libris de philosophia.

Verbis illis:

salsis cruorem guttis lacrimarum lavit

omnino existimo significari luctum Phinei de interfecta Idaea dolentis; quamquam parum id probabile videtur Ribbeckio.

Quod ad relicua fragmenta, eis quae sunt:

obtorque prorim ac suppa tortas copulas;
tacite tonsillas litore in lecto edite

Argonautarum adventum describi apparet. Cf. Ribb. pg. 541. Anapaestica, quae leguntur apud Non. 504, 32; 463, 13, ad terrores maris, quos vel experti erant idem vel experturi, rettulerim; et quidem alterum, quod nondum emendatum (cf. comm. in 463, 13 sqq.), ad Symplegadum saxa. Harpyiarum ac notae Phinei poenae apud Accium mentio nulla. Quarum fabula cum una cum superiore non potuerit in eodem carmine tractari, hunc existimo finem fuisse tragoediae, ut punita Idaea et restitutis cum Cleopatra filiis poena condonaretur Phineo, quia Symplegadum ad pericula vitanda ducem se daturum Graecis promitteret et consilia suppeditaret.

XLII. XLIII. Phoenissae. Thebais.

Pro „Phoenissis" saepe scriptum „Phoenisis". Extant Phoenissae Euripidis, quas liberius, ut solebat fieri, secutum esse Accium probabile est.

Chorus apud Euripidem virginum fuit Phoenissarum, id est Tyriarum, quae Delphos missae casu devertissent Thebas. Eius etiam apud Accium quasdam fuisse partes declaratur ipso titulo.

Igitur cum Oedipus destinasset (non, ut Euripides dicit, ipsi), ut vicissim regnum Thebarum gererent Eteocles et Polynices filii (cf. Non. pg. 185 s. l. vicissitatem; ubi fortasse non trimeter iambicus, sed pars septenarii trochaici, statim ut continuanda sint quae leguntur apud eundem pg. 101 s. l. dividae), Polynices, quod a fratre anno exacto fraudaretur imperio simulque se virtute putaret priorem, patriae bellum intulit. Nam eius haud dubie fuere illa, quae in colloquio cum Eteocle videntur fuisse posita (cf. Ribb. 479; Non. 416, 9; 481, 30):

num pariter videor patriis vesci praemiis?
natus virtute sceptrum poteretur patris.

Vbi „vesci" pro praeterito dictum apparet; „poteretur" videtur esse optantis.

Ad mitigandos filiorum spiritus belli civilis fraternique horrores sic puto descripsisse Iocastam:

ibi fas, ibi cunctam antiquam castitudinem;

scil. videas perire.

De Haemone, maiore ex Creontis filiis, ex quibus alter ad victoriam optinendam vitam suam deberet offerre pro patria, intellegenda perspexit Ribbeckius illa:

ab dracontis stirpe armata exortus, genere antiquior.

Cf. Non. 426, 35 l. antiquior, melior; ubi nescio an legendum sit: „antiquior, maior".

Creontis post victoriam partam ad Antigonen vel Haemonem (qui uidem non inter personas Euripideas) videntur esse haec:

obi nunc nostra moenia, omnis saucios
convisito, ut curentur diligentius.

Cf. Ribb. pg. 481; comm. in Non. 398, 3.

Quae restant fragmenta, adhibita Euripidis fabula recte explicata a Ribbeckio.—Thebaida quod eandem atque Phoenissas existimavit Welckerus, non possum probare. Nam ut omittam a Nonio eodem capite, quo unica huius fabulae mentio continetur, identidem citari Phoenissas, certa duplicis tragoediarum Accii tituli non extant exempla nisi duo „Stasiastae vel tropaeum Liberi", „Aeneadae vel Decius". In quibus alterius inscriptionis vel ab Accio vel a grammaticis adiectae hanc apparet fuisse causam, quod prior esset talis, ex qua argumentum nullo pacto posset nosci. Igitur propria ac singularis earum ratio.

Versus servati sunt hi (Non. 144, 14):

qui ubi ad Dircaeum fontem adveniunt, mundule
nitidantur vulgum quadripedantum sonipedum.

Quae de eis, qui arma illaturi essent Thebanis, dicta apparet. Sed utrum prior τῶν ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας an Epigonorum significetur expeditio non comparet.—Ceterum conferenda, quae de Epigonis a nobis dicta cap. XXIV. XXV.

XLIV. Stasiastae vel tropaeum Liberi.

Tradunt grammatici, illud στασιαστής recentioris esse usus, cum ab Atticis dicatur στασιώτης. Cf. Ribb. pg. 576. Sed utrum Alexandrini temporis aliquem auctorem secutus sit Accius, quae Ribbeckii est opinio, an mutaverit inscriptionem ex more aetatis suae discerni nequit. — Ad insidias a Lycurgo Thraciae rege Baccho structas refert Ribbeckius (fuit etiam Naevii Lycurgus). Sed illae quomodo potuerint tractari fabula, cui Stasiastarum fuerit nomen, non intellegitur. — Igitur propius a fide existimo partem Indicae Bacchi expeditionis, quae post Alexandri Magni tempus potissimum celebrata est fabulis poetarum, tumultuantiumque fide laesa vel Indorum vel ipsius comitum res descriptas hac tragoedia; qua quidem res bellicas tractatas demonstrant quae prostant fragmenta quattuor numero.

XLV. Telephus.

Fuit Euripidis notissima de Telepho tragoedia; quam secutus est Ennius. — At alium auctorem observatum ab Accio probatur ea re, quod apud hunc Telephus inducitur pauper et mendicus non per dissimulationem, ut insidias vitaret Graecorum, quorum castra adire destinarat oraculo coactus, sed expulsus a suis et ex rege factus exul. Cf. Ribb. pg. 344 sq.—Ceterum et Aeschylus et alii de Telepho composuere tragoedlam.

Sed dolendum, quod eis, quae servata sunt ex carmine Acciano, parum iuvamur ad pernoscendum fabulae decursum neque comparet, quibus rebus ei cum tragoedia Euripidea vel Enniana convenerit, quibus non, excepto quod etiam in eo miserandum Telephi habitum cultumque, animo tamen non fracto, cum cura descriptum versibus probatur nonnullis.

In prologo haud dubie fuere illa:

quantam Tyndareo gnata ec Menelai domu
olem excitarit belli pastorque Ilius.

Vbi male vulgo „et Menelai domus."—Illud „domu" pro „domo."— Praecessit ut puta „notumst nimis".

Graecos ex Mysia rursus revectos in patriam Argisque desidentes, donec iterum expeditio instituatur Troiana, notant anapaestica haec, quibus querelae contineri videntur Achillis:

iam iam stupido Thessala somno
pectora languentque senentque.

Comparari potest, quod Catullus posuit de phaselo:

nunc recondita
senet quiete.

Ad eundem continendum dicta illa, quae Vlixi tribuit Ribbeckius pg. 346:

studiumque iteris reprime.

Telephi regno deiecti fuere verba, quae imitatus est Vergilius Aen. II, 79 sq.:

. . nam si a me regnum Fortuna atque opes
eripere quiit, at eadem virtutem nequit.

Sic enim inferiora videntur scribenda. Codd. haec fere: „eripere quivit, at virtutem nequit".

Diutius iam delituisse Telephum mendici habitu inter Graecos demonstrant illa:

> qui neque cuiatis esset umquam potuimus
> multa erogitantes sciscere.

Quibus proxima fuere ea quae sunt:

> profecto hauquaquam mediocrist ortus satu.

Suspicatus quidam ex Graecis hanc ipsam fuisse causam, cur mendici specie lateret ille:

> nam is demum miser est, cuius nobilitas miserias
> nobilitat.

Tum originem suam et rerum statum patefecit Telephus. Qui vulnere ab Achille illato se impeditum, quominus Graecos victos ad internecionem caederet, significare videtur versu hoc:

> fluctus cruoris volverentur tum (om. cdd.) mihi.

Quid autem secuti sint consilii, de quibus loco ter a Nonio citato dicta haec:

> . . . remisque nixi properiter navem in fugam
> transdunt subter saxa ad laevam, qua mons mollibat mare,

equidem me ignorare fateor. Certe vanus est Ribbeckius, qui de fuga unius ex Graecis a Telepho in naves compulsis accipienda putat pg. 347 sq.; quem quidem latuit a Nonio 307, 31 asseri, illud „fugam" pro navigatione poni. In quo etiamsi eum potuit fallere sententia, tamen auctor, quo usus est, non facile hunc errorem fuit commissurus, si antecessisset apud Accium hostium fugatorum mentio. — Potius quendam ex Graecis circa Argos stationem agentibus significari existimo. Sed quaenam fuerit huic causa deducendi navem obscurum.

Relicua fragmenta maximam partem satis aperta et probabiliter explicata a Ribbeckio.

Finem fabulae fecit haud dubie liberatus vulnere et a Graecis, quorum comitaturus esset expeditionem, in regnum restituendus Telephus.

XLVI. Tereus.

Fuit Sophoclis Tereus; quem quin secutum existimes Accium nulla est causa. Etiam Philoclis apud Graecos, Livii apud Romanos fuit Tereus.

Fabulae talem fere fuisse decursum, qualem videmus in Ovidii

narratione luculentissima (Metam. VI, 421 sqq.), a qua differt pluribus Hyginus fab. 45, probabiliter statuit Welckerus.

Tamen dubites iure, an nulla apud Sophoclem truncatae a Tereo linguae sororis Procnes extiterit mentio. Nec enim persuadere mihi possum Philomelae in carminibus Sophoclis et Accii non fuisse partes nisi κωφοῦ προσώπου. — Et potuit facile acquiescere his poeta, ut diceret illam post vim illatam a Tereo, ne patefieret facinus, in Thracia latebris clausam et saepe denuo stupratam. Cf. Ov. 519—562.

Itaque nihil obstat, quin illa:

> atque id ego semper sic mecum agito et conparo,
> quo pacto magnam molem minuam miseriae (om. cdd.)

a Philomela initio fabulae prolata existimes, quo consilia a se iniri demonstraret certiorem faciendi de rebus suis sororem.

Ad scelus Terei spectant, quae leguntur ap. Non. pg. 279 s. l. „deponere est desperare". Quibus Procnen edoceri per nuntium de Philomela satis apparet.

Bacchi sacris usam Procnen ad revisendam sororem, quod Ovidius adserit, demonstrat versus ad illam dubitantem, quo modo perficeret coepta, datus:

> deum Cadmigena natum Semela adfare et famulanter pete.

Quibus iubetur Bacchum rogare auxilium; cf. Non. 463, 24.

Ibi etiam in laudem dei matrisque eius posita videntur haec:

> feminam nobilitas late ex stirpe praeclara evagat;

i. e. „feminae sortem multum excedit"; cf. comm. in Non. 467, 36.

Ad receptam post tantos casus Philomelam pertinere puto haec:

> o suavem linguae sonitum! dulcitas
> conspirat animae;

ubi „conspirat" idem quod „congruit".

Iam antequam ultionem perpetraret, diverbium instituisse cum coniuge Procnen, sicut apud Pacuvium fecit Iliona post filium Polymestoris scelere obtruncatum, declarant illa:

> video ego te, mulier, more multarum utier,
> ut vim contendas tuam ad maiestatem viri;

nisi haec ab amico Terei dicta existimaris ad deterrendam eam; cf. Ribb. pg. 580 sq.

Immanitatem Thracum perstringi a Procne eaque proprium facinus excusari apparet hoc versu (cf. Ribb. pg. 582):

alia hic sanctitudost, aliud nomen ac numen Iovis.

Itym ab Accio ut a Livio (cf. Non. 153, 27) describi etiamtum infantem, aliter atque fecit Ovidius, demonstrat id quod est:

sed nisi clamaris regem, auferre puerum ab regina occupo.

Nam sunt verba frustra temptantis servare vitam eius. Atque huius, quisquis fuit, satis constat adventum subitum indicari octonario aeque iambico tali:

novos advena animo audaci in medium proripit sese ferox.

Cf. comm. in Non. 425, 25.

Finem fabulae fecere mutati in aves Tereus cum Procne et Philomela. Sed ex hac parte nihil servatum.

XLVII. Incertarum fabularum reliquiae.

Restant pauca, quae de incertae sedis fragmentis sint dicenda.

I.

Ex quibus quaedam ad Heraclidas Accii vel similis argumenti tragoediam a Ribbeckio relata rationibus non satis certis. Nam quae ap. Cic. de nat. deor. III. 16, 41 feruntur „in monte Oetaeo illatae lampades" et „in domum aeternam (melius erit „aetheriam") patris", cum haud dubie sint Acciana, potuere locum habere in Philocteta, qui Herculis exequiis adfuerat. — Qui apud Prisc. pg. 752 est versus initio mancus „quorum genitor fertur esse ops gentibus," quamquam ad Herculis filios spectat, tamen non est tanti, ut rem conficiat. Gravius illud, quod testatur Festus pg. 258 Accium Athenas vocasse „quadrurbem", sicuti Euripides Heracl. 80 dixit de isdem τετράπτολιν ξύνοικον— λαόν. Ex quo certe apparet Accium et ipsum studiosissimum fuisse Euripidis, de qua re etiam aliunde constat, et inelegantia componendi verba interdum non cessisse Pacuvio.

II.

Serv. Daniel. in Aen. I, 42: nam de Iunonis fulmine Accius ait „praefervido fulgore ardor iniectus Iunonis dextra ingenti incidit".

In his ultima bene restituta a Buechelero sic:

ardor iniectus Iunonis dextera ingenti incidit.

In prioribus Servium, ut saepius factum, memoria labi existimo; nec enim adduci possum ut credam Accii esse adiectivum „praefervi-

dus", quod ut languidum est nimis, ita primum apud Livium omninoque invenitur rarissime. Igitur tale fere ab eo venisse puto: „fervido cum fulgure" vel potius: „fervidus cum fulgure"; cf. Lucr. V, 204; 1099. Nam fulguris potius quam fulgoris notionem requiri adsentior Ribbeckio.

III.

Schol. Bernens. in Verg. Georg. I, 502: Accius docet „Iuppiter Dardanum genuit, Dardanus Troum, Trous Assaracum et Ilium Ganymedemque; Capis ex Assaraco satus, qui statuit Pergamum; Laomedon Priamum et Anchisem edidit".

Haec, quae paene eadem leguntur in scholiis Lugdunensibus a Suringario Hist. crit. scholiast. Latin. II, 347 editis, interpolata pariter et truncata, Hageni partim et Ribbeckii, partim nostra opera ita fere in versus cogenda existimo:

Iovi' Dardanum progenuit; Troem Dardanus,
Assaracum Tros et Ilum et Ganymedem creat;
Capis ex Assaraco est; rapuit Ganymedem Iovis;
Ilo Laomedon satu', qui statuit Pergamum;
Laomedon Priamum, Capis Anchisen edidit.

In quibus a Ribbeckio, apud quem locus citatus habet numerum III. hoc maxime dissentio, quod, antiquissimorum Romanorum secutus usum, pro Ganymede Catamitum, pro Laomedonte Alumentum reposuit. At ab Accio, quem primum „Hectŏra" dixisse constat pro „Hectōrem" aliaque protulisse graecanice, quae priores Romani latine, cascas illas formas omnino arcendas existimo. Quare neque „Anchisen" accusativum tribuere ei dubitavi neque admittere sustinui illa „Troum", „Trous", quippe quae scholiastae magis proprii temporis a barbarie quam Accii ab usu petita existimarem.

Ceterum stemmate apposito fit probabile ad Accium etiam referendos incerti auctoris versus a Quintiliano IX, 3, 57 et qui usus est hoc Diomede pg. 448 P. servatos:

ex Iove prognatus est, ut perhibent, Tantalus,
Pelops ex Tantalo ortus, ex Pelope est satus
Atreus, qui nostrum porro propagat genus.

In quibus „ex Iove prognatus" („e Iove progn." Buechelerus) ita dictum, ut in sequentibus „Pelops ex Tantalo ortus, ex Pelope est satus". „Iove propagatus", quod e tertio versu irrepsit, legitur fere in

libris Quintiliani, in Diomedis „Iove propugnatus". — Porro in secundo versu per chiasmi figuram iuncta cum praecedentibus et sequentibus reposui illa:

Pelops ex Tantalo ortus, ex Pelope est satus.

Vbi Quintiliani libri „ex Tantalo ortus Pelops, ex Pelope autem satus", omittunt „autem" Diomedis. Nec enim ullo pacto adduci possum ut credam illud „Pelops" a quoquam vetustissimorum tragicorum latinorum, nedum ab Accio omnium cultissimo, elatum per pyrrichium.

IV.

Fest. pg. 142 Accius: „cum virginali mundo (i. e. ornatu) clam patre" (tum lacuna). — Cf. de his comm. in Non. 267, 19. — Omnino scribendum existimo „clam patrem".

V.

Quod sub n. XLI dicit Ribbeckius in excerptis ex anonymo grammatico ap. Ang. Maium auctor. class. V, 151 referri ab Accio pariter atque Pacuvio Naevioque usurpari nominativum Iovis, Pompeius potius nominandus fuit auctor. Nam ex huius libro (gramm. lat. V, 187) haec transcripta, isque ab ipso citatus Ribbeckio in Pacuvii incertarum fabularum fragmentis s. n. LX.

At mihi excusandum, quod illud „Iovis" in editione scenicarum Naevii carminum reliquiarum est praetermissum (sicut etiam a Ribbeckio). Nam haud dubie ex tragoediis illud petitum. Item dolendum quod versiculus ibi omissus hic (cf. Macrob. Saturn. VI, 5, 8):

cum tuis sagittis arquitenens pollens dea.

Ceterum „Iovis" nominativus ex Accii Epinausimache adfertur a Prisciano pg. 695.

VI.

Subtrahendum fragmentis Accii septenarium trochaicum a Cic. Tuscul. I, 44, 105 servatum (XIII ed. Ribb.):

immo enim vero corpus Priamo reddidi, Hectorem abstuli

iam supra, sub n. XXVI, est monitum. — Neque magis sunt huius, quae citantur apud Varronem de l. lat. VI, 80 (XXXV ed. Ribb.); ubi legendum: „et anticum illud:

ollim violavit (sc. aspectu), qum vidit invidendum"

ed. Lucilii pg. 320 est adnotatum. Ibi „invidere" positum est pro „non videre"; „invidendum" pro eo quod nulla vi oculorum debet attrectari. Cf. quae praecedunt apud Varronem. Agitur de mysteriis. Tragici nescio cuius puto esse verba.

Haec fuere quae de Accio nunc quidem mihi viderentur dicenda, non quidem ut omnia persequerer, de quibus disputandi materiam post priorum criticorum commenta putarem relictam, sed ut potissima. Quodsi his adiunxeris, quae in libello de Pacuvii fabulis priore anno, item superioribus in editionibus Livii Naeviique et Ennii fabularum sunt proposita, haud inutile supplementum libri, quo argumenta poetarum tragicorum, apud Romanos qui fuere Augusto priores, rimatus est Ribbeckius, poterit videri. Nec tamen ignoro in nostris quoque disputationibus inveniri haud pauca parum certa, ac satis multa in carminibus antiquissimorum tragicorum latinorum partim propter exiguitatem reliquiarum, ut corruptelas frequentissimas ac saepe gravissimas omittam, partim propter exemplarium graecorum defectum etiam nunc manere obscura et quae an numquam possint expediri iure dubites. Sed ubi veri extricandi facultas nulla, ea maxime sectanda, quae similia veri ac magis probabilia videantur ceteris.

Index.

	DATE DUE		